



# Ioannis Oecolampadii Ad Billibaldum Pyrkaimerum de re Eucharistiae responsio.

<https://hdl.handle.net/1874/416738>

*pe*

3

IOAN

NIS OECOLAMPADII AD

Billibaldum Pyrkaimerum de re


Eucharistie re

sponsio.

TIGVRI, in ædibus Christophori

Froeschouer, Anno

M. D. XXVI.





# IOANNES

OECOLAMPADIVS, BILLIBALDO PYR  
kaimero, Senatori Norinbergeñ. S. in Domino.

**L**EGI BILLIBALDE, RESPON-  
sionem tuam de uera carne Christi, ueroq;  
cuius sanguine, dignam planè tua claritudi-  
ne, si quis uehementiam Rhetorices, & ue-  
nustatem sonorule dictionis querat: indignam uero, si  
uel pristinæ ac suavis amicicie nostræ naufragium, uel  
turbulentum senatoriae grauitatis tue impetum, & qua tri-  
tina libret, ut alia interim in limine sermonis præterea.  
Quanto autem diligentius legi, tanto magis indolui: idq;  
non tam meo quām tuo, tametsi nō nihil & meo nomine.  
Meo quidem, quod incertus sim, num respondendo inno-  
centiam meam cum tuis, tum aliorum mortibus infestas  
tam tueri, an totā causam meam, imo suam, Christo iudi-  
ci, in pacientia & silentio committere debeam. Nam lu-  
pum auribus, ut aiunt, teneo: non quod ubi tanta ueri-  
tatis fiducia uaniloquo clamori respondere, laborem ma-  
gnum requirat, sed quod semper ingenio meo fuerit ad-  
uersum rixari & contendere: maxime cum his quos in-  
ter amicos non postremos numero, quod cum omnes, tum  
maxime ministros Christi & Ecclesie oppidò dedecere  
scio: nec ignarus sum, q; uix cauere potero, quin conten-  
tiosi personam induisse apud parū & quos iudices uidear:

## EPISTOLA.

mox ubi uel leuiter quod premit excutere, & quam im-  
merito male audi am uel per trāsennam ostendere inci-  
piam. Tuo uero nomine grauat supramodum, quod exi-  
stimationem tuam, quam saluam uellem maxime, pericli-  
taturam uerear: cui tamen etiam me tacente, ipse tuus  
libellus nō parum praejudicat. Inuident etiam nū tibi syn-  
ceriores amici, quod in opinione illa crassa defensanda,  
contra amicum immeritum, tam hostiliter, tamq; atroci-  
ter auream eloquentię tue armaturam deterere uolue-  
ris. Itaq; mihi calamus tollit amicicia, quam ueritas in-  
nocentiaq; commendant: illam nota quapiam illibenter  
aspergo, has negligere non licet. At quid hæfitorum tuum  
mihi sequendum est exemplum: quodq; tu in facti excusa-  
tionem assumpisti, non finit ut fileam. Non n. habendus  
personarum, sed ueritatis respectus. Atq; o utinam, sicut  
ego illam que intus præsidet, in consiliariam & pridem  
& nunc adhibui, ueritatem, ita & tu posuis affectibus,  
& cū lacte imbibitis opinionibus, magno studio, iustaq;  
puritate eam consuluisses, nimirum uterq; magna leua-  
ti fuissimus molestia. Sed negavit id tibi Manliana au-  
steritas, & mentis & equilibrium iræ præcipitantia confu-  
dit, adeò, ut non tam ueritatis habueris rationem, quam  
dolori fueris obsequitus. A me sane non est expectan-  
datam acerba pugna, fatis mihi fuerit uitare ictus tuos,  
& uere abstergere, quod falso impingitur: tu interim  
mea pace, si fieri potest, piissimus fueris, & maxime car-  
didus.

DE EUCHARISTIA IOANN. OECOLA  
didus. Mihi nō opus est ut te offendam, sed uiam tuam ut  
euadā mihi enitendum. Evidē satis facere tibi, teq; lus-  
crari malim, & conabor, nec frustrabor, nisi errorem  
tuum sponte agnoscere nolis: nam saltem hoc, si nihil  
aliud fatebere, quod minus amice tecum egeris. Flagra-  
uit enim ira tua, modumq; nesciit scelus immodicus. Sed  
præsumptum satis.

SCOPVS BILLIBALDI.



ST AVTEM TH<sup>E</sup> S<sup>H</sup>A<sup>T</sup>UT<sup>I</sup> id est, tui h<sup>i</sup>  
K<sup>H</sup> scopus, conatus & consiliū, non uul-  
gariter me infamare, sed semel totū ex-  
tinguere, et doctrinam meam ueram sic  
subuertere, ut nota conscientiae cauteriae perpetua su-  
giller, atq; adeò, ne fidel mihi supereffet quicquam, pr<sup>o</sup>  
termisisti nihil. Eò te prouexit emulationalis immoderan-  
tia. Proderit autem mihi apud æquum lectorum immo-  
dicum illud tuum mei opprimendi studium: nondum. n.  
amicam curam, ubi tam parum humanitatis cernere li-  
cet, appellare possum. Proderit inquam, caluniae enim  
(uocabulo ignosce, donec mitius aliud occurrat) per sin-  
gulos ferè uersus, etiam nulla urgente necessitate, accus-  
ratiu int̄tata, lectori, quo nam morbo laboraris demon-  
straturae sunt. De his principio agam, antequam ad te-  
nuia illa tua, quibus librum impugnas, progrediar. Inte-

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA  
rim sannas, aculcos, scōmata, & iniurias plerasq; stren-  
nue dissimulabo: quare enim priuatis causis lectorem de-  
tinerem & satis alioqui molestum, obtrudere ea que hos  
neste præteriri non poterunt.

V TER PRIOR EVERIT INIVRIVS,  
& generalis calumniarum depulsio.

**I**GTVR tu, quum odiosissimam traducen-  
di amici prouinciam suscepisses, primum fa-  
mæ tuæ prudenter ac anxie consulere stu-  
duisti, subinde inculcans, me priorem fuisse  
iniurium: unde nemo non colligat te ad scribendum co-  
gi, & me longe grauiora meruisse, qui ab amico et  
tanto, sic excipi meruerim: maxime quum id modeste,  
citraq; facundiam caninam egisse uideri uelis. Hui quan-  
tum mihi fauoris adhuc reliquisses, si modestia amici-  
cieq; nomen obticuisses. Iam si modestia illa tua est tam  
crudelis, quis dignam crudelitatem & furorē ipsum feret  
aliquando? Et si tam ardens oratio canina non est, sed  
rebus sacris digna, ubi frontem perficueris & incalues-  
ris, quomodo non uel adamantinos montes perrumpess-

A GIS autem hoc copiosius, dum circiter libri medi-  
tullum post sexcenta cōuitia stomacharis in hæc herba:  
» Videbuntur tibi hæc duriora, aut etiam iniurijs referta,  
» sed interim non cogitas quanta tu nos aspergas infamia,  
» quātis in nos debaccheris cōuitijs, quū nunc desertores,

nunc

IOAN. OECOLAMPAD. RESPONSIO.

nunc Capernaitas, modo Papistas, modo ueritatis impugnatores, & quid nō apellas, figurate tamen: sed nostro pum tuum hunc satis superq; cognoscimus, ac calumnie tue nos nequaquam latent. Et utinam nos apertis potius quam occultis lacestres conuitijs. Nam præterquam quod tibi aperte respondere possumus, haud quaquam te iniurium fuisse, aliquando negare quires, quum ita semper figuratam loquutionem tuam, & tropicum illud dicendi genus pretendere posses. Quid igitur nobis faciendum: si taceremus, heretici & impi essemus: nunc quum respondemus, conuictatores & ceteri luminiatores appellabimur. Et profecto, si meipsum in signi quadam affecisses contumelia, disimulasse, aut etiam tacuisse: nunc uero quum Dei detrahitis potentiae, & filij eius Testamentum supprimere niteris, silere neutiquam licuit: ut interim de scandalo multorum, & conscientiarum degraduatione taceam. Verum non sunt clam insidiæ tue, quas utinam detegere non cogeremur. Potuit Socrates per scissæ uestis rimam, quam Antisthenes identidem quasi diuinitarum contemptor ostentabat, cor illius arrogans inspicere: ex quir nos ex scriptis tuis, quid in mente gereres, dignoscere haud ualere mus, quum uerba animi sint imago? Nouit Deus quam inuitus hec depromam, ac quam multa suppressam, que me non solum amicicia nostra, sed Christiana etiam charitas depromere non finit: tametsi tibi aliter fortassis

AD BILLIB. PYR. DE EUCHARISTIA

» uidebitur, uel nō uidebitur, quum aliquando illuminatus  
» fueris, uel considerare uolueris quis nostrum iustiorem  
» indignandi occasionem habuerit. Hęc sunt illa tua  
» peramica uerba.

Quę pectora tantus eloquentiæ torrens secum non  
abripiat? Qui affectus tam indulgentes fratri, quos non  
abalienet miserabilis illa tragœdia? Qui tam perspicaces  
oculi, qui talibus præstigijs non caligent? Heu quanta  
in lenocinijs oratorijs calliditas & violentia? Vere  
& calamus non minus quam lingua nouacula acuta, &  
nō uos & inicis appellari posset. In his turbinibus,  
quis nisi ueritate munitus, beneq; sibi conscius subsistet?  
Gratia autem Deo, qui ad repellendam uim tuam ar-  
mis non carnalibus me satis muniuit, ut non tantum ar-  
tificiosissima illa tua, & ruens affectibus de honestare ac  
terrere possit oratio, quantum hinc fiducia & roboris,  
ad ueritatem asserendam conceditur, id quod & alijs  
breui perspicuum erit. Inuicta enim perstat ueritas, &  
utuissimum præsidium est mentis bene cōscie testimoniū.  
Sanè multò secus quam à te proponitur, res habet. Fieri  
autem potest, quod & tibi multa uana amiculi quidam  
de me suggererint.

NE ADMIRERIS, quod hinc potissimum ex-  
ordiar, & filum orationis tuae non sequar. Vrgent enim  
causæ non cōtemnenda: Una, ne si obiectionibus respon-  
dere cepero, & in carpēndis calumniarum tuarum flo-  
sculis,

IOANN. OECOLA MP. RESPONSIO.

sculis, quibus totum uariegaſti libellum, immorer, ueritati cognoscēdæ uelum quoddam intertexatur, id quod, ſiue data opera, ſiue fortuito tibi euenit. At ego illam ci- tra omnem ſucum uelim cognobilem maxime: ſed quo minus cognoscatur, multum facit, ſi mentis quietem, inflammationes ille rhetoricae perturbent. Altera, ut iam à te p̄eoccupati ſuſpicionibus & indignationibus ani- mi reſpicient, dicitq; cum ueriflum iſtum ſimpliciſſimiſ ſi- dem non abnegent: qđ ſi ſperare nō licet, tacuisse con-ducibilius foret. Tu certe strenuam nauasti operam, ut fide mea labefactata, fruſtra deſenſione afferrem: atq; mox colliquescet uter iuſtiorem indignandi occaſionem habuerit, & irae modum tenuerit. Nam ſi quis iniuriariū originem uere ſcire uoluerit, hanc eſſe, & non alia con- periet.

ANTE Q VAM huc diuertiffet Carloſtadiuſ, li- belliq; eius diſſeminarentur, non raro de Euchariftia in- ter ueritatis ſtudiosos in ſecretioribus colloquijs contro- uertebatur, & pertentabant amici cum noti tum ignoti, partim epiſtolis, partim corām meā in ea cauſa fidem. Quo quiq; animo, ipſi uiderint: mihi certe profuit exer- citatio. Scicſitantes enim fratres non temere, ut quidam ſolēt, auerſabar, ſed collatione ſcripturarum dignabar, & quantum etiam in myſterijs uulgo aberratum eſſet, cum illis indagabam: plerisq; circumſpede & caute re- ſpondebam, etiam ipſos ad ueri inquifitionem ſollicitaſſe

## AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

multos etiam consulebam ipse ne quid indigne contra  
receptam paſſim opinionem docerem. Irrupit tunc  
Carlstadius cum libellis suis, cuius intemperatum sermo-  
nem quum probare non possem, patienter tamen le-  
gens, non procul à Scopo eum abesse iudicabam, atque  
adeò rogatus, ingenue fatebar: malebam enim hoc age-  
re, quām eum tunc condemnare mordacioribus uel dictis  
uel scriptis. Cogebant autem ex scripturarum exposi-  
tio, ex plebis expectatio, quæ ferè ueritatis capacior  
erat, quām pleriq; qui sibi uidentur docti, ut pure quæ  
mea esset sententia, aperirem. In summa, res qua dece-  
bat modestia, citra cuiusquam hominis criminacionem,  
per me atque alios quosdam, Deo laus, non inauspicate  
cepta. Tantoq; felicius, quo magis à cōuitijs abstinentes,  
infirmorū rationem habebamus. Nihilominus mox ego  
ex uicinarum Ecclesiarum fideliores ministri male audi-  
re, traduci, proscindiq; cepimus. Et tu in frōtispicio libri  
tui eum rumorem te cognouiſe fateris, ex ipse profers  
uerecūdi rescripti mei testimonium. Nec ignoras quos,  
ij qui ne una quidem syllaba laceſūti, triadem Satanicā  
tum uocabant. Quamuis autem angeret indeſinens ille  
rum, perlati tamen sunt aliquandiu patienter ac lōga-  
nimitate ōi πεωθλανισμοὶ, donec appeteret asserēdæ  
ueritatis idoneum tempus. Legantur aduersariorum libel-  
li, quos ante ſequi annum dederunt: ex si non ſcatent in-  
numeris conuitijs, uera ſint quæ aduersus me dicis, non  
dico

A. cōtentio  
num uoca-  
tiones.

IOANN. OECOLAMP. RESPONSI.

dico cōfingis, omnia. Itaq; & ego post alios ab alijs occupationibus paucos dies feriatus, ne singulis per epistolas respondendū esset, fidei rationē exposcētibus, & ut quorundam demulcerentur exulceratē mentes, innoxium illam ex ueterum doctorū sententijs, ex sacris literis, conlecturisq; maxime uerisimilibus libellum concessi, quantum nunc proscinditur, lapidatur, & exuritur. Annus uertitur quo scriptus est, adhibitāque est diligentia omnīs, ne cuiusquam nomē propter eum haberet peius, sed ad ueritatem cognoscendam extinuarentur etiam alij. Ex his perspicuum esse potest undenam iniurie scaturierint, & num lacefferim ego, uel laceſitus scriperim.

NON solum autem prior iniurius non fui, sed ne iniurius quidem: ubi enim defuit offendendi animus, quis merito dixerit iniurium? Etenim si fratrem, cultro p̄ter sententiā meā à manu excidente, vulnerassim, ipse aliud interim agens, damnosus fuerim, sed non iniurius, ni dedita opera leſiffe probarer. At ego multa benevolentiae mee indicia in aduersarios ostendere possem. Iuant adhuc me illorum laudes, laudare illos & ipse non erubesco: etiā non reposui conuictia pro conuictijs, quum potuisse: tantū erroribus eorum, contra conscientiam subscribere nolim. Et à te non mediocriter offensus, qua lecung; Amici nomen, quo me salutas, minime reiecerim: sed spem inde aliquam, non omnino incredulus, interim fo

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA  
ueo. Præterea errorē in genere taxavi, & priuatis per-  
sonis pepercī, quare igitur dicis me iniurium? Generalis  
uitiorum reprehensio personam non infamat. Erroris  
condemnatio hominem non anathematizat. Cur et tu  
non in errorem meo nomine tacito impressionem fecisti,  
uel amiciciam pristinam ueneratus? Evidem subrideo,  
non derideo, dum tu in fucatos cōcionatores digrediens,  
liberius inueheris. Quid enim succenserem, si nihil ad  
me que dicis? si & ego reus, emendationem, non stomacha-  
tationem requiri uide oīmō ex stomachationem nō  
in te, qui taxas, sed in meā, que cōmeruisset, ignauī-  
am. At si tu cæcus me uidentem, uel claudicans recte in-  
cedentem redargueret uelles, hoc minor utiq; esset mihi  
irascendi necessitas, quò maior mea felicitas, & ampli-  
or tua temere iudicantis calamitus. Cæterū hac excusati-  
tione mihi nō fuerit opus: sunt satis multi, censores pati-  
lo æquiores, ij probe animaduerterunt quām noluerint  
quempiam propter me uel traduci uel pessundari. Qui  
fit ergo quod homines, iijq; amici tam diuersis iudicijs la-  
borant? & tutam Heroicus uir me cogitare iubet, quan-  
ta uos asperserim infamia, quantis in uos debacchatus  
sim conuiijs? Age uel tuis uerbis absoluar, uide n. quām  
bene conueniat sermo tuus, dices enim me debacchari  
conuiijs, & subdis figurate tamen. Est ne figurate loqui  
debacchari? Quid est figurate debacchari? Nihil tā in-  
nocenter inculpateq; dici potest, quin ubi tales Mom-  
calumnia

IOANN. OECOLAM. RESPON SIO.

calumniæ fenestræ pateat. Quid in tuis uerbis deprehenderet Socrates? imo quid non uidet orbis, quem oculos recepisse equidem non ægre tulerim, utinam recte iudicare incipiat, quid sibi uelit tam anxie, tamq; infeliciter calumnias conquerere. Insignite impij, qualem me facis, palam & aperte deprehendunt. Verum hic nō licet abscondita cordium rimari, quæ in diem Ihesu reseruata sunt. Vade tu cūtali figuratarū iniuriarū actione ad iudicis tribunal, & uide quantū impetres. Aut arbitraris tam infames libellos calumnijs & accusationibus è fru nolis suspicionibus natis, sanctiores? Quis puer ita corram ludim agistro suo contra æqualē ageret? Præceptor, hic me obliquis perdit uerbis, è quibus pessimū eius cor deprehendo. Non omnino innocentes sunt, qui facile suspiciones admittunt.

CAETERVM expendamus quenam illa sunt conuictia. Capernaitas, desertores, Papistas, calumniatores, ueritatis impugnatores, hæreticos uos nominatos dicis, figurata tamen. Hæc ferè sunt quæ te male habet. At qui pridem à tuis, & olim à Lombardo hæc pleraque nobis sunt obiecta quæ diluere uolui, non tibi impropositare, utcunque tu suspiceris. Igitur nulli post hac se excusare licebit, quin se excusando, alium recriminatus esse censeatur? Sunt quædā differētiae & exceptionis gratia à me dicta, eatu rapis ac in te & tuos torta essent. Papistas enim nominans, mihi cum tuis non esse negocū.

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

ostendo. Quis nescit inter tuos & Papistas multum in-  
tereſſe. Itaque ſicubi diſplicere aliq[ui]d mihi in papistis  
dixer[o], nihil ad tuos eum ſermonem pertinere liquidum  
ſatis eſſe debet. Alij uulnerati ſunt, & uos cicatricem  
moſtratis? Nonnulla ſimpliciter ad deſenſionem me-  
am dicta ſunt, ut quim dico: Igitur qui talia obiſcitis,  
patiamini primū, ut germanum ſenſum teneamus: & fi-  
a uerbis nos diſceſſiſe comprobabitis, ſixxwīdæ,  
hoc eſt deſertores uocate: ſi curioſiores fuerimus, in-  
gratos dicite: ſi non eam quam oportet fidem conſite-  
mur, hæreticos clamate, iudicateque, quemadmodum  
ipſi iudicari uelletis. Hæc uerba pro deſenſione allata,  
tu nimurum interpretaris, quaſi uos illis perſtrīgam.  
Opinariſ neminem fore, qui inter nos diſjudicet? Sed  
quid multis? Hæreſeos crimen nondum cuiquam me ob-  
ieciſſe fateor, qui ſuam in Christo cruciſxo fiduciam  
collocat, ſeq[ue]r[it] in uera petra fundat, tantum alicubi dixi,  
rationem aduersariorum fauere Marcionitiſ, ſed hoc  
non eſt dicere Hæreticum uel Marcionitam. Vi hæreti-  
ci nomen abominor maxime, ita in labijs meis uerſatur  
rariſſime. Sciunt fratres qui hic ſunt, meum in Eccleſia  
cui ſeruio morem, quomodo diebus festis, quibus cœnam  
dominicam celebraamus, legatur ſymbolum apostolicum,  
cum protestatione quod nouos articulos fidei non cure-  
remus, neque recipientes dogmata cum illis no[n] pugna-  
tia temere iudicemus, promulgantur quoq[ue] excomunica-  
tione

IOAN. OECOLAMPAD. RESPONSIO.  
tione indigni, quotquot uerbo Dei erudiri nolunt in his  
quæ sunt fiduci causis. Vbi autem in tanto timore ambula-  
tur, & concordie magna cura est, ne quis à nobis iudi-  
cij temeritate grauetur. Quo pacto uerisimile est me  
figurata loquitione in quosdam irruisse, quibus nōdum  
regnum suum Christus negauit? Scio enim & multos  
errores grauiissimos ob simplicem fidem à Deo optimo  
condonari. Poteras ergo Bilibaide mitior esse. Accedit  
ad hæc sicut dixi, ad erroris cōdemnationem pertinere,  
non pauca à me dicta. Itaque si sancte, christianeq; scri-  
bens errorem quempia, quo & tu teneris detecta abomi-  
natione, quæ illū sequitur, destruere conor: nōne si quod  
in te desyderaretur, diligenter resarcires, uerbo in man-  
suetudine suscepto, etiam iuxta huius seculi sapientiam  
prudentius dissimulares, quam si multa recriminatione  
te proderes? Sin impie & prophane delirarem, tu ue-  
ro illustratus, & à pari lapsu gratia diuina custoditus  
esses, nonne iterum cōsultius ac sanctius ageres, si ut sp̄i  
rituales decet, infirmum me in fide susciperes, manife-  
stis doctrinis erudiens, & pro donis Deo gratias agens,  
quam si te ipsum intestino dolore enecares, & me lin-  
gue tue flagello totum conterere uelles? Hoc meo iudi-  
cio foret christiane sapere. Christi enim sp̄ritus arun-  
dinem comminutam non confringet, & limum fumigans  
non extinguet, nec uocem suam in plateis audiri sinet.  
An hodie dissimilis est sibi sp̄ritus ille? Dabo autem im-

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

pietatem esse quod docui, pietatem uero quod tu asseris:  
utiq; satis inculpate ageres, & partem tuam probe de-  
fenderes, si errorem meum confutares: quo ostendo, re-  
pente etiam cōuitiorum plastra euanescerent. Certum  
si de Cœna recte ac bene sentis, nihil ad te quales caper-  
naitæ: sin male, nulla poteris ratione societatem illorum  
tergiuersari. Iam unde ego, quum scriberem, præscire  
poteram quid Pyrkaimerus tum cōstanter crederet, uel  
quid cum male habiturum esset? Nullus hostis à me con-  
uictio petitus est, quanto minus tu, quem ut animæ par-  
tem dilexi: & offensus quoq; nondum diligere desino,  
tametsi res hanc postulet apologiam. Vbi igitur iniuriæ?

E S T O autem humanum quiddam essem hac in re  
passus, nunquid tuum erat insipientia insipientiam meæ  
uniceræ? Vbi ergo illa quam iactas Christiana charitas?  
ubi amicicæ ratio? ubi uel illa senatoria tua ciuitas?

A T T V zelum prætexis, qui non sinebat te ferre  
impune, per me conculcari testamentum Christi, per me  
derogari potentie dei, per me fratrum offendere consciencie  
tias, deniq; per me scripturas dilacerari. Sed ô Billibald  
de, hoc decebat probari à me commissum. Conuincto  
hoc, ut par est, & in me uel tacentem, uel reclamantem  
recidet crimen. Porro ego ostendi abunde, iuuanteq;  
Deo ostendam uberioris curæ mihi esse gloriam Dei, cele-  
brari à me testamentum Christi, pusillorum, ut uocant,  
scandala uitari, scripturasq; declarari: neq; id quod in-  
tentas,

IOANN. OECOLAMPA. RESPONSIO.

tentas, ratiocinatione tua efficies unquam.

I AM nescio quid adhuc grauius suspicaris, et do-  
lens supprimis, D E V Mq; te stē inuocas, quod hæc inui-  
tus deponas. Quod ego ò Bilibalde, si cōtra eius legē  
tales libros scriberem, non accusem: at quām pura tibi  
sit conscientia, planè non iudico. Hoc scio, nisi Deum  
prorsus ignorem, displicere illi non solum maledicendi  
libidinem, sed & minimum raah. Tu uero interim per  
inuisissimam reticentiam quid taces? quid supprimis?  
Quomodo non indulges bili? Nihil enim opinor uel in  
tuo, uel cuiuspiam alterius magis maledici pectore duri-  
us insidere, quin & hæc à te ὑπερβολικῶς effusa dixe-  
rim. Quid est uspiam inuidiosum, cui me non associes?  
Carolstadius & Pighardi fortissime non tam mali sunt,  
quorum ualde poeniteat. Quid mihi Iudeos & Sarrace-  
nos confers? Papistarum & Marcionitarum causam ho-  
nestas aliquantulum, ut illis siam inuisior. Confers autem  
me & Satanæ. Posse ne crudelius quippiam in me com-  
minisci, quām quod per me infametur Deus, quod pro-  
phanem Testamentum Christi, quod agar spiritu Satana-  
næ, quod perdam scandalis piorum conscientias? Posse  
salua charitate & conscientia non remordente, acutio-  
ra spicula in me iaculari? Utique non posse. Evidem  
mallem appellari ueneficus, parenticida, plagiarius, pa-  
triæ proditor, et omnibus alijs conuictijs aspergi, quām  
iuocari hostis Dei, latro animarum, socius Iudeorum, or=

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

ganum Satanae, ruptorq; Testamenti, quod Christus sanguine suo nobiscum iniit: quemadmodum nunc per te exibitor, & per alios, gloriantes interim à parte sua Christianam mansuetudinem, quæ qualis sit, non video: & enitentes declarare me superiorem ac priorem iniurias, non solum in se, sed & in Deum Opt. Max. sacro= sanctamq; eius Ecclesiam. Verum ego enixe oro Deum illum nostrum, cui utrinque nomen dedimus, ut senescat ira illa tua: & uideas, si nihil præterea, uel saltem hoc, quod ire modum non seruaris, nomenq; meum absque iusta causa in toto orbe traducere conatus fueris. Ato enim adhuc de te spem tantam, quod sedata ira, tibi redditus, onerosus mihi innocentii futurus sis minime, quantumvis nunc sauias.

S V N T autem & aliae calumniæ, quibus insidias fidei meæ struis, dum nunc arrogantem, nunc dolosum, nunc Sophistam me facis, & inculpatissima pessimam interpretari. E quibus id unum proferam, quo & reliquias candor tuus cognoscatur. Dixeram: Veritatē & gloriam nunquam inuenierunt contentionis studiosi. Detestanda profecto rixandi libido. Quibus uerbis quid posset christianus dici? Charitatis enim primam nos semper habere curam oportebat. Tu autem ea uerba suam paraphrasi, ne dicam paraphrōnesi, enarras in hunc modum: Quid hoc est aliud dicere, quam mecum contenedere nolite, ne rixandi infamiam subeat: ueritatē non

IOAN. OECOLAMPAD. RESPONSIO.

non deprehendentes, nisi à contentione abstineatis, ac  
mini obediatis in omnibus quæ scripsero? Ita scilicet &  
tu explicas. Talem interpretem, dum uerba maxime  
candida sortiuntur, quid mirum, si in alijs quoque ini-  
quiorem experiar? Vteris autem glossemate isto nō uno  
loco tantum, quasi ideo à contentione deterrere uelim,  
ut arrogantie meæ præpedimenta tollantur ē medio, ut  
statuere possim idolum somniorum meorum, ut quicquid  
mihi arriserit, confessim sit angelicum: quicquid dis-  
plicuerit, diabolicum. Siccine curas amicum? At quid  
opus ista Sophistice? Nónne antea testatus sum benefiz.  
eis loco ducturum me, si erudiar ubi aberraro? Nónne  
præsto sum, ut audiam meliora docentes? Hactenus in  
hac causa non docuisti, quæ oportuit. Si obturarem au-  
res erudire me uolentibus, utique repulsam mercerer, con-  
tentioñem deprecans: nunc quum redarguendum me of-  
feram, si peccaro, quam ob rem dicta mea tam perpe-  
ram accipiuntur? Est' ne erigere idolum, submittere se  
equissimis, quibus scripturan interpretari decet, cano-  
nibus? Sapit' ne arrogantiam, Ecclesiasticorum Do-  
ctorum scripta tam humiliter expendere? Quid ul-  
tra à me exigitur? Si hæsitantius loquerer, & tanquam  
parum confirmatus, in sermone uacillarem, scio, lon-  
ge aliter, & fortassis non immerito meum inuaderes iu-  
gulum: & ex trepidatione male consciū arguens, af-  
fertionem peteres. Verum ut docili, & aliorum sen-

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA  
tentias agnoscendi, timiditatis crimen tam insolenter,  
tamq; superciliosae non erat opprobrandum: ita constan-  
tius comperta proferenti, fastidiosum arrogantiæ ui-  
tium haud erat obisciendum.

PORRO fraudes ac technas qua humanitatis le-  
ge mihi toties improperas: quum mihi id uitij per omni-  
uitam meam, propter simplex & apertū ingenium, ob-  
iectum sit nunquam: atque adeò, ut filijs huius seculi fa-  
ctus ludibrium, haud pauca pœnitēda pertulerim. Quo  
igitur poculo tam repente πολυμήτρη euasi: quis tam  
subito fucos tot suppeditauit: quis tot imposturas &  
præstigias docuit: quomodo tam cito cutem uariavit &  
thiops, & uulpem induit ouis: Ecce ipse dicis certū esse  
tibi, me per ignorantiam labi, & nequaquam pertina-  
cia aberrare: & quod melius de me sentias, quām ut pro-  
nuncies me dolose dicere. Utinam non dis̄siderent uerba  
tua. Iam quid me iuuat frigida illa excusatio, cum qua-  
totus liber turus pugnat, qui nihil aliud agit, quām quod  
dolos, imposturas, & lenocinia mea uerba esse dicit:   
Fraudes non communiscitur, qui per ignorantiam labitur:  
uerbis spiritus sancti nō obſiſtit, qui propter cæcitatem  
aberrat. Gratiae autem ſint Domino, qui & paruulis dat  
aſtutiam, quod me non prorsus ineptum & inutilem in  
ministerio ſuo eſſe uoluerit. Fator igitur, quod una uer-  
fricie ſum uetus, nec pœnitet: pia enim eſt, & non ad de-  
cipiendum, ſed ad placandum aduersarium composita:  
quales

IOANN. OECOLA MP. RESPONSIO.

quales charitas omnium multò uaferrima docere solet.  
Vafricia autem periculosa hæc est, quod non strinxit  
lum in præsentem quempiam, sed pacis gratia cum Lon-  
bardo lusi, ut spectatores interim, sibi parci animaduer-  
tentes, à temeraria scutie cauerent. At cum sic præter  
spem illos offenderim, quid futurum erat, si aperte &  
impudenter nulli parcens, obuios quoq; sic inuasissim,  
qui nunc tam male propicij sunt? Quod si non est obli-  
quitas illa excusabilis, argue & Nathan prophetam, ar-  
gue & Christum ipsum. Non inuenies autem alias stro-  
phas in toto libello: sed occurret simplicitas non impru-  
dens, ut in Domino spes est. Hactenus amicorū iudicia  
suspecta fuere, cò quod in amicorum uitijs cæcutirent:  
tu uero sic ardenter amas, ut non solum non conniuas,  
sed & quod excusari posset, supramodum exaggeras:  
& quæ in bonā partē accipi possent, in pessimā trahas.

PREMIS item me & alijs importuniſſimis moro-  
ſitatibus, quibus lucubrationem meam conscientia mala  
prodijſſe persuadeas. Nunc enim dicas me controuerſa  
pro confiſſis afferre, nunc mecum pugnare, mox simili-  
tes distinctiunculis lactare, deinde quedam diſmulare,  
& ubiq; infidelem patrum interpretem. Quis non uidet  
quid hæc ſibi uelint? Cauē autem ne in foſſam mihi para-  
tam incidas. Sophistam me facere uis, & ſophisticifſimū  
te eſſe prodiſ. Orbis enim oculos recepit, & niſi ad pri-  
ſinam cæcitatem redeat, inter tuos cauilloſ, & ſolidos

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA.

meos sermones diudicare poterit. Nunquid subdole pœ-  
tionem admiserim principij, si cum titulo & narratio-  
ne confirmationes omnes non fuerint adiectæ, antequam  
ad probandum, de quo controvèrtitur, accessum est?  
Scis non omnia locis omnibus quadrare: Cur igitur non  
expectas finem orationis, & loci opportunitatem? ut  
situnc fuero parū memor officij, habeas quod querare.  
De distinctionibus quid dicam? Annon licebit eas ad ma-  
nifestandam cause obscuritatem proferre? Prohibe tan-  
dem & definitiones, & interpretationes, & circumstan-  
tiarum inquisitionem, ac quicquid ad eruendam ueri-  
tatem conduit. Nec multum abest, quin hæc nobis nea-  
ges, quandoquidem uix permittis digressionem ad taxan-  
dos seculi nostri abusus. Quid, quod ægres ers ad preces  
exhortantem, & tantum non hypocrisewis insimulas?  
Prohibe tandem & precari, & sperare quod preces no-  
stræ à Domino exaudiantur: uidelicet tandem ad restem-  
mittito. Nam ubi hoc licere mihi existimarem, his me uer-  
bis aggressus es: Rursus ad solitas te conuertis artes, &  
multis pijs ac deuotis uerbis rem agere pergis, sed frui-  
stra, ut speramus, laboras. Et ut antea dixi, orbis ocu-  
los aperire cœpit, nec amplius blandis & simulatis de-  
cipitur uerbis.

Hæc tu & multa alia solito supercilio. Exhor-  
tatus sum, fateor, ad preces (atque ô utinam persuas-  
sissim

IO ANN. OECOLAMPA. RESPONSIO.

sifsem) non tamen meas iactui, neque eas magno pre-  
cio uenditai unquam, sciens Deum patrem, quando be-  
nefacit, non iuxta mea opera, sed pro sua misericor-  
dia mihi benefacere. Quid adeo fetet sermo meus co-  
rante? Fert me Dominus, & precari iubet, gratumq;  
habet si mutuo ad preces hortemur: tu uero quorsum  
interpretaris? A precibus ferè depellis, uixq; te cons-  
tines, quin serpentem pro pisce à patre dandum das.  
At ego, quod antea uerecunde obticui, nunc uel mun-  
do toto reclamante, exclamo: Gratias ago patri mis-  
ericordiarum, qui me è pristinatenebrarum eripuit cas-  
ligine, ut certò sciam quo modo ei seruire debeam,  
queq; mihi fides ad salutem sit necessaria: oroque ut  
concedat ambulare ἀξίως τύχη κλήσεως dans perfi-  
cere, qui dedit & cognoscere. Non hæc te male habe-  
ant, nam licet intempestiva uideantur uerba, non sunt  
tamen Dei gloriæ aduersa: aut si probatur tibi mos tu-  
us, sic perge, ut nemo non uideat meam innocentiam,  
& tuam excandescientiam? Nimiis fortassis nunc, &  
ad suspicionem usque fidei meæ uindex fuerim, sed tu  
me tantis calumnijs ita cogis. Maluissim enim uiro re-  
dargutionum nescio similis fieri, si ad alia placidius re-  
spondendi præstructa uia, & è medio sublate suissent  
præstigia: quibus impudentibus, uix ita commode com-  
monstrari potest ueritas. Spero autem, quia detectæ  
sunt aliqua ex parte ingenij tui artes, defore suspiciones.

AD BILLIB. PYR. DE EUCHARISTIA  
quasi gaudeam iniurijs amicos ledere, studeam dolis cir-  
ciuuenire simplices, & mea somnia magnificans scriptu-  
rastorqueam: & spero etiam te ac alios, aures meæ re-  
spōsitioni diligentius accommodaturos. Nunc igitur qua-  
liter cunq; filum orationis tuae respondendo sequar.

IN QVO TAXATVS SIT PE-  
TRUS LOMBARDUS.

**P**RIMVM de Petro Lombardorationem  
reddo. Nam illū non omnino reieci, sed dum  
taxat in distinctione decima non probauit,  
multis iustisq; causis permotus. Abutitur  
enim uerbis Christi, ut tota nostra disputatione indicabit:  
Deinde supramodū crepat contumelias, opprobrans in-  
saniam excellentem, Hæresin maximam, arrogantiam  
miram, ueritatisq; impugnationem. Deniq; patrum do-  
cte sciteq; scripta, per incertorum quorundam ac mis-  
mine conferendorum ineptias corrumpit: uide enim Au-  
gustini dicta, quam miserabiliter torqueat. Nam quam  
illa manifesta sunt, & in simplici, quem secum afferunt,  
sensu capiantur, afferit inde somitem erroris suppedita-  
ri. Quid clarius poterat dici, quam quod ait: Corpus in  
quo resurrexit, in uno loco oportet esse, ueritas autem  
eius ubiq; diffusa est. At ille, quia sensui suo non respon-  
debat hoc dictum, nec sufficiebat diuinitatem ubiq; esse,  
sicut germanus intellectus exponi postulabat. Id quod in  
epistola

IO ANN. OECOLAM. RESPONSIO.

epistola ad Dardanum, è qua exceptum, uidere licet, extenuat his uerbis, et ita exponit: Veritas eius, id est uerum eius corpus, in omni altario in quo celebratur. Pictus est, qui consulto exemplari non olfacit quid hic cōmenti. Similiter lapsus est in clarissimo alio dicto eiusdem dicentis: Ipsum quidem et non ipsum corpus quod uidebatur, manducatur: ipsum quidem inuisibiliter, et non ipsum uisibiliter. Quod exponit, inuisibiliter, id est sub forma panis. Verum Augustinus aliud uocat inuisibiliter manducare, nempe suauiter ac utiliter in memoria recondere, quod pro nobis caro Christi crucifixas sit et vulnerata. Eadem dexteritate Lombardus tractat Augustini dictum: Et si sit necesse uisibiliter celebrari, necesse tamen inuisibiliter intelligi. Porro Augustinus libro. 3. de Doctrina Christiana, satis indicat quomodo uisibilia Sacra menta et signa admoneant, ut per ea cognoscantur quae significant: non quod res signis affixa sunt, alioqui grauiori seruitute premeremur, quam uel Iudei uel Gentiles. Mihi Bilibalde, si non expendisti locum illum, uide eum diligenter. Facit etiam manifeste uim dicto Augustini in epistola ad Bonifacium, quam qui legunt, facile deprehendunt Corpus Christi uulgo accipi, pro Sacramento corporis, non inuisibile pro uisibili.

Quid igitur mirum, si illi subscribere nequeamus

Affert autem et ex Ambrosio et Prospero

quædam, de quibus postea.

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA  
DE EXECATIONE SECVLORVM ET  
multitudine errantium.

**M**OX Seculorum consensum suffragari tibi gloriaris. Scio quod multis & carnalibus omnibus tecū imponit nemesis quedam indignabunda, quod tot nullia hominum, tot nationes, tot secula, tot sancti, tot doctri errarint in re Eucharistiae. Quibus principio non concedimus in hac causa tot seculis fuisse adeò aberratum, ut dicitis, immo nec posterioribus istis, quibus phialæ iræ Dei super hypocritas effusæ, tam multas mentes caligo crassa perdidit. Ecclesia Christi qualis sit, non ignoras: non enim ab insulatis & ceremonias stupentibus, & ijs qui sibi aliquid esse uidetur in hoc seculo, censetur. Videbis n. inquit Apo stolus, uocationem uestram, quod non multi sapientes secundum carnem, non multi diuites, non multi claro genere nati, uerum que stulta erant, de legit Deus, ut puz defaceret sapientes. Non igitur à multitudine, neque ab elementis huius mundi pendemus, neque temporis præscriptione fidimus, sed ueritatē ab his, qui eam cognouerunt, tametsi pauci sint, discere cupimus. Notum est antichristum in medio templi iam olim sedem collocasse. Prædictus Paulus Ephesijs, mox post discessum suum ingressuros in eorum Ecclesiam lupos graues, gregi non parcituros, peruersaq; loquuturos, ut abducant post se discipulos. Desleuit operarios prauos, canes, concisiones, inimicos

IOAN. OECOLAMPAD. RESPONSIO.

inimicos crucis Christi, mancipia uentris, quorum finis  
perditio, quorum Deus ueter, & gloria in dedecore eo=  
rum. Praeuidit & Petrus affuturos pseudodidascalos, se=   
ctas perniciosas induentes, quorum exitia plerique se=   
quuturi sint. Testatur & Ioannes suis etiam temporis  
bus fuisse antichristos multos. Et iterum sectas in utilita=   
tem & probationem electorum cessuras Paulus docet.  
Dominus uero Iesus agrum zizanijs superseminaturum  
indicat inimicum hominem, & à pseudoprophetis, eti=   
am eos quibus coram loquebatur, cauere iubebat, &  
angustam in regnum cœlorum viam esse admonebat,  
propter ingredientium raritatem. A latere iusti, in=   
quit Psaltes, casura nullia, & à dextris eius decem mil=   
lia. Quomodo igitur erit securum gloriari à temporis  
prescriptione, & in numero qui nobis ignotus est? Sæ=   
pe ab hominibus laudati, regno Dei minime sunt apti.  
Regnarunt apud homines doctores multi magna in glo=   
ria, qui plane apud Deum nulli erant. Si enim ante Chri=   
stum uenerunt, hoc est si spiritu Christi fuere destituti, fu=   
res uique fuerunt, ac latrones. Contra saepè quos des=   
picerunt homines, approbauit Deus. Solum putabat se  
prophetam Elias, & uiuebant septem millia quæ non  
flexerant genua sua coram Baal. Porro quid si & mag=   
na pars uulgi errauit, ignorans quomodo panis sit cor=   
pus; num propterea illam damnabimus totā; Vinceret ne  
diuinam misericordiā humanus error; Bene nouit Deus

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

quantum cuiq; luminis concrediderit. Utinam animad-  
uerterent superciliosi illi quomodo in ecclesia catholica  
ad sincerissime sapientiae cognitionem pauci spirituales  
perueniunt, ut ex minima quidem parte, qui a homines  
sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant: ceteram  
quippe turbam non intelligendi uiracitas, sed credendi  
simplicitas tutissimam facit. Ita August. contra episto-  
lam fundamenti differit: Vides hic turbam cæcuteire, ui-  
des & paucos ex spiritualibus sapietia & cognitionem per-  
cipere: uides & illos paucos ad abstrusissimam sapien-  
tiam pertingere: Quid igitur si multi errent, & tecum  
sentiant? Quid autem si maior & sincerior pars tecum  
pugnet? Esto tibi subscribant schola, monasteria, & hy-  
pocritarum greges, quibus Deus efficaciam illusiois im-  
misit, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non  
crediderunt ueritati, sed approbauerunt iniusticiam.  
Nusquam enim minus dociles inuenies his quos dixi, &  
quos tibi maxime addictos in hac causa scio. Common-  
strauimus autem non defuisse ex prioribus Ecclesiæ do-  
ctoribus, qui manifeste nobiscum faciunt. Fateris multis  
perspectas fuisse fraudes Rhomanas ac monasticas, qui  
tamen reclamare citra periculum uitæ nō fuerunt ausi,  
& inde factum ut ueritas latuerit. At quanto uerius de  
errore circa Eucharistiam, qui basis est, ac fundamentum  
impietatis antichristiane, dicere licet, paucis tantam  
fuisse libertatem, ut de eo mutiret? In re Sacramentaria  
ueritatem

IOANN. OECOLAMP. RESPONSIO.

ueritatem indagare periculosisimum esse, etiam Decretorum papisticorum glossemata, ni fallor, perhibet. Monachorum episcopi et sacerdotes plerique eatenus fuerint amici et protectores, quatenus in suum cōmodum cedere uisum est: non unquam insignes illorum iniurias tardebūti. Porro clām non est quare sacerdotes ita saeuiant et saeuierint, ne quis ueritatem de Eucharistia affeueret: quam illi tecum Hæresin uocant, et tu eam à paucis circa paucū tempus coortam existimas. Quod si tam nūc iūs est error, quare Gregorius septimus, pro reuelatione et confirmatione uestrae opinionis, indixit ieiuniū et præces publicas? O fidem insignem. Et auersatus est Deus illum cum ecclesia sua?

PROMISSIONEM CHRISTI PROPTER  
nostram incredulitatem non irritari.

**H**I C NIHIL te uereri opus, ne Deus uestra cæcitate populum uniuersum percutiat: ignosce quod cæcitatem dico, nam tuo uerbo utor, neue uerbi intereat ueritas, ac Christi pollicitatio dicentis: Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Quid enim, et quibus, illis uerbis promisit? nunquid omni multidini in cathedra pestilentia sedenti, uel sedentes audienti? nunquid impuræ ecclesiæ uel planè adulteræ? nunquid concilijs phariseorū, nihil aliud, quam ut gloriam propriam tue-

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

antur, querentibus: Vobis cum inquit, discipulis meis, &  
uocem meam audientibus, præsentiam diuinitatis meæ  
promitto. Discipuli & nos sumus, & omnia relinquen-  
tes, uere eum sequanur: & tūc negemus eum, si frauda-  
bitur nos, ueracem. Audire meremur: Non noui uos, si  
adulterina fuerimus posteritas? Annon & Abrahæ da-  
tæ sunt innumeræ promissiones? Excidit ne igitur uerit-  
tas Dei, si ij, qui harenæ maris & stellis cœli numero ac  
dignitate collati, ingemiscant apud Iesaiam, Nisi Domi-  
nus reliquisset nobis semen, facti essemus sicut Sodoma  
& Gomorrha? Elegit Dominus montem Zion in secu-  
cula. Excidisse arbitraris promissio nem, quia Nabuzar-  
dan impius templum polluit, incendit, & solo & quauit?  
At uerax Deus, etiam dum non uidetur, ueracissimus  
est. Christus, licet minimum fidei charitatisq; super ter-  
ram inueniat, non propterea promissionis sue semel fa-  
ctæ penititudinem admittit. Vnde qui promissionem non  
assequuntur, quantocunque in numero sint, suis uitios  
asscribant. Quod si adhuc tibi seculorum consensus ar-  
ridet, cogita quo pacto post certamen inter Petrum &  
Paulum de oneribus legis, Ecclesia, etiam ante Hierony-  
mum & Augustinum, ceremoniarum mole fuerit onera-  
ta, & multa indigna tulerit, que interim pulchre incre-  
uerunt. Vide uerbo Dei quid ex humanis traditioni-  
bus adieclum sit, quid ex Platonis & Arestotelis farina  
Ecclesiasticorum Doctorum libris inspersum. Expende  
quid

IOANN. OECOLAMP. RESPONSIO.

quid ambitio, quid Avaricia, quid metus crucis, quid uenter docuerint, statuerint, defendent. Reputa tecum quomodo uerbum crucis uere uerbum crucis, ac contemptibile: admirariq; desine, siquidem multititudini tuae, qua gloriaris, parum tribuamus. Neque hoc te lateat, quod si per libertatem, qua nos freti, populo fideliter ueritas illa proponeretur, numeroq; calculorum agen- dum foret, conscientijs se se aperientibus, fore nos hac quoque parte non postremos: sed non querimus à multitudinis iudicio sententiæ nostræ confirmationem, quamvis omnes recte sapere cupiamus. Esto autem totus mundus οὐλοκύθεις λύματι, ueritatis solem auersetur, uidentibus tamen, et oculos sanos habentibus, ingrata eius lux non erit. Itaque non est quod metuas promissio- nem Christi euacuandam, uel totum mundum periclitare turum et exceccandum. Quin et in alios, si pateris, et securior uis fieri, timores tuos uanos esse deinceps ostendam.

QVI NAM CONSCIENTIAS  
onerent.

IMES AVTEM et conscientiarum degrauationem, et populi seditionem ac turbas, cœlestiumq; ac spiritualium omnium cōculcationē ex hac opinione suboritur as. At si de bonoq; sis animo, nam et has curas eximam. Et

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

primum ne metuas nostris ceremonijs conscientias per-  
sicutari: Quia enim à peccatis, ab operibus legis, àq; tra-  
ditionibus libertatem Christus nobis sanguine suo pe-  
rit: iij soli conscientias onerant, qui noua illa onera rur-  
sus imponunt, partæq; libertati preiudicant: Grauant,  
qui aduersus iusticiā fidei, ceremonias legis postlimino  
quodam reducūt: Grauant, qui nouos articulos fidei con-  
dunt: Grauant, qui leges, quas charitas nō dicit, statuit.  
Hoc postremum Phariseis, traditionibus suis plebent  
onerantibus, Dominus obijciebat. Nouos articulos,  
qui non ex scripturis manefeste docentur, condere an-  
tichristi fuerit, et anathemate dignum censetur ab Apo-  
stolo. Legis iugum nec patribus, ipso Petro teste, tole-  
rabile erat. Omnes autem hi meritum mortis Christi  
euacuant, quod nostræ libertatis præcium. At nostra Do-  
ctrina nihil horum molitur. Circa Eucharistiam suis re-  
scriptis multas leges inuixerunt Pontifices, magno ani-  
marum periculo. Quanto pauore laboratum est, si quid  
ceremoniarum omissum, si quid in confessione non dete-  
ctum, si que syllaba non fuisset expensa? tametsi inter im-  
ueræ religionis, per quam conscientiam fuisset refocilla-  
ta, cura nulla esset. In his non est quod obijciatis nobis,  
neque ego uobis obiecerim, libenter contentus sum sim-  
plicitate illa, qua Dominus cum discipulis usus est, sciens  
eam conscientijs neutiquam onerosam. Similiter nec ar-  
ticulos nouos, à quibus infirma mens resilit, profero.

Augustinus

## IOAN. OECOLAMP. RESPONSIO.

Augustinus ad Petrum diaconum satis indicauit, quæ hic ad credendum necessaria, ut securi inter catholicos haberi possimus. Hunc uero impanationis articulum ignorat, quū sit tantus, adq; credendū tam difficilis, ut quisquam aliis. Vos autem, quia hac in causa uobis non subscriptentes, Hæreticos appellare audetis: & alios uerborum nostrorum non capaces, & meticulosos, ad finē genda quæq; compellitis: quæ moles ipso Caucaso onerosior fuerit. Alioqui credere præsentia corporis Christi in pane, mētes magis premit, quam alleuiat: oderūt enim quantumuis piæ, legem certis scripturæ uerbis non confirmatam, nec utilitate quapiam reficiētem. Certæ enim sunt Deum, qui per prophetam dicit, Ego sum Deus, docens te utilia, nihil inutile instituisse. Porro in hunc diem usq; nulla utilitas ostensa est, si carnem in pane manducemus. Quid, quod uerba etiam scripturæ aliud uelint quam proponitis; & in hūc sensu uestrum tracta, cum multis locis pugnant? Interim est ea infirmitas mentium, ut Christum in cœlo & in pane simul querere non posse. Vbi nascitur suspicio, ibi fides pericitatur: ubi enim ambiguitas & suspicio, ibi & mentis angor atq; molestia, addo & tentatio Dei: quæ non uidco ut cum fide morari possint, quæ est elenchus rerum non apparentium. Nam quod in pane ipsam carnem Christi comedam, & quod panis substantialiter sit corpus Christi, dominus nec docuit, nec iussit. Et quia absq; uerbo Dei dicitur,

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

conscientiam supramodum onerat, àq; centesimo quoq;  
se credere affirmanti, non uere creditur, imò uere à nullo  
creditur: Fides enim non est deceptio. Apparebit igitur  
ubi sit mentium uexatio? Nos autem in doctrina Eucha-  
ristiae nihil aliud tradimus, quām quod accepimus. Vide  
enim quid Dominus iuſſerit ac tradiderit: Nihil enim li-  
cet uel addere uel diminuere. Panem ac uinum tradidit,  
comedereq; iuſſit: tantorum symbolorum mysteria co-  
gnosci uoluit: memoriam sui habere praecepit: Probare  
mus nosipos per Apostolum admonuit. Hæc sunt placi-  
ta Domini. Hanc doctrinam strenue docemus & urge-  
mus, quæ spiritualem carnis Christi mandationem non  
excludit. Tantum autem abest, ne illa conscientias one-  
ret, ut etiam ab omni exoneret sarcina. Addo, quod sicut  
mentem non grauat, qui ab errore & idolatria reu-  
cat, ita nec nos, qui pani nihil ultra id quod Dominus il-  
lum esse uoluit, tribuimus. Seduxerūt & aggrauarunt  
conscientias, qui tanquam in opere quodam, remissio-  
nem ibi constituerunt: quò factum, ut nunquam se satis  
dignos credentes, eò quod opus suum uiderent minus ido-  
neum, ut plane est abominabile. Vnde magna trepida-  
tione, eaq; impia, per plerosq; dominica cæna celebrata  
fuit. Cessat & hæc causa nobiscum. Fatentur opinionis  
tuæ antesignani, quod se diu torserint, & multum hæc  
questio ipsos exercuerit: ex quibus uerbis qualis co-  
rum fides tum fuerit, colliquescit: nunc dum spiritui ob-  
stinate

IOAN. OECOLAMPAD. RESPONSIO.

stinate resistunt, putant sibi bene consultum. Augustinū tibi iterum cito, ut sit inter nos iudex. Lib. 3. cap. 9. de Doctrina Christiana sic inquit: Ut literā sequi, & signa pro rebus accipere seruīlis est infirmitatis, ita inutiliter signa interpretari, male uagantis erroris est. Qui autem non intelligit quid significet signum, & tamen signum esse intelligit, nec ipse premitur seruitute. Melius est autem premi incognitis, sed utilibus signis, quam inutiliter ea interpretando, à iugo seruitutis eductam ceruicem, laqueis erroris inserere. Hæc Augustinus. Vides hic nos absolui, nam signa pro rebus non accipimus. Illi autē signa pro rebus accipiunt, qui res quæ signa sunt, substantialiter esse dicunt res quas signant, sicut uos faciūt: quo modo igitur miserabilem animæ seruitutem nō introducitis? Nos quoque non uanam significationem asserimus, sed exhortamur magis ad fidem, quæ est in mortem Christi, quam ad eūsum panis. Itaque potes in utramque aurem dormire securus, non enim id periculi de nobis suspicandum.

DOCTRINAM NOSTRAM DE

Eucharistia non esse seditiosam.

**E**T ET ALIA suspicio, ne dicam catullnia purganda, dum post deploratam huius anni miserabilem tragœdiām infers, ac dicis: Quam uereor, ne opinio hæc nouas fuscitatura sit turbas: et dum populus Christi à

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

uiisibilibus abstrahitur mysterijs, spiritalia etiam ac co=  
leffia pœnitus exuat ac abiiciat, & conculcet ita, ut mul=  
tipliciter credendo, nihil tandem credere conuincatur.

Hec post digressionem, quæ parum ad rem attinent, &  
plus suspicionis quam ædificationis habent, subiecisti, fla=  
gellans uentreſ quoſdam, & pacis publicæ uiolatores.  
Existimo tamen quod talibus flagellis, innocentibus excu=  
ſandi ſe locum præcludere nolueris. Certus equidē ſum,  
ſi ueruſ cænæ uſuſ ſeruatus fuſſet, & Euangelium Chri=ſti ne annunciaretur, non prohibitum, multum ſanguis  
niſ nō fuiffe effuſum. Certus ſum, quod ſi ille, quem ego  
in mensa Dominica in ecclſia cui ſeruio, rituſ ſeruetur,  
breui reditum pacem ac ſecuritatem, & tranquillitat=tem. Nam nos cum primis omnes ſeditiosos, magifratuſ  
bus non obtemperantes, redditus & tributa negantes,  
pacisq; perturbatores authoritate uerbi à mensa Domi=niſa arcemus. Es iſt hic nit ſchwirmary. Christus  
princeps pacis nos conciliat, propter quem pacifici eſſe  
cum omnibus mortalibus nobis ſtudium eſt. Vnica enim  
lex eſt. Vel charitatem ſeruato uel abito. Et quum non  
ſit aliud unionis ſymbolum sanctius, quo pax & chari=titas magis foueat, unde prodiit illa ſuſpicio? unde ina=niſ ille metus; quod ea doctrina, quæ charitatem, humi=litatem, ac pacientiam docet, tanquam ſeditioſa infame=tur? Quām miſerabiles ſumus ac miſeri, ut Christianile=gem ac Doctrinam Christi uel ignoranter cōtanūnemus,  
uel

IOANN. OECOLA M.P. RESPONSI.

uel ignauiter nesciamus. Dicemus statim & sanguinariū Christum, qui iussit pallium tollenti, & togam dari, charitatisq; ac patientiæ præcepta dederit. Neque ullus mortalium est, qui me unquam aliter docuisse probare poterit, quod ad morum innocētiā attinet, quam quod Christus uerbo uitaq; prius ostenderit. Vetus autem hoc satanæ ingenium est, ut si quid per organa sua turbulen-  
tia excitarit, innocētibus opprobret. Ita male audiebant olim prophetæ Elias & Hieremias, ita accusabantur & apostoli ac martyres, quorum pedes dirigebātur ad an-  
nunciandum Euangeliū pacis, ut conuertantur gladij  
in falces, & lanceæ in uomeres, uincanturq; patientiæ le-  
nitate furoris malicia. Nouit enim Diabolus uerutissi-  
mus animos presulum ac Principum, quam teneri sint.  
Et non alia causa magis exacerbabiles, quam si seditio-  
num suspiciones concipient: eò quod magnam & ferē  
omnem felicitatem suam in potentatu, qui disturbis po-  
tissimum pericitatur, collocant. Et siquidem ita seres ha-  
bet, ut illis narratur, iustas succensendi & animaduerten-  
di in impios causas habent: recte agunt, fungantur mu-  
nere suo, exerceant gladiū, sine quo reipublicæ pax mi-  
nime subsisteret, iudicent uidue ac pupillo, liberent pau-  
perem à potente. At qui gladium principibus tradidit,  
idem & recte indicare iussit absque personarum respe-  
ctu. Quod ideo dixerim, quia non raro hypocrite, qui  
sanctissimi & magna grauitatis uiri cœsentur, accusant

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

& calumniantur innocentes, qui coram hoc seculo quidem peripsemata putantur, apud Deum uero maxime sunt existimationis, qui non derelinquet inultum uel usnam sanguinis tam preciosi guttulam effundi. Vnde iudicibus perspicaciore oculo nusquam opus. In die iudicij satius illis foret se & suos omnes hic miserabiliter occubuisse, quam unum ex pusillis, quos mundus persequitur, in gratiam hominum interemisse. Fieri possunt, indociles, & zelo scientiam Dei non iungentes, cœlum terræ miscent, ut turbent omnia, calumnientur & persequantur pusillum gregem Christi, in cruce Domini gloriantem. Ita enim euenire solet, nam si Christum persequuti fuerunt, quid nobis expectandum? At non propterea plectere oportet insontes ueritatis Doctores, si delirent ac insaniant ueritatis osores. Verè seditiones ac turbatores Israëlis sunt, qui nos in hac nostra causa tumultum meditari aiunt, eò quod iudicum animos in populum innocentem exasperant. Porro, qui euentum causantur, ac perpetuum morem, euangelium non sine tumultu prædicari. Vnde sciunt, non multò maiores exorturas seditiones, si prohibeatur ueritatis annunciatione. Nihil enim ægrius fert hominis natura, quam ueritatem à se ui recondi, sine qua nihil securum habet. Et Deus, qui ueritas est, ad hoc non connuebit, ut sic gloriae sue insidentur uiri impij. Cur non presentes facinorosos puniunt; quid respiciunt ad euentus, quos præsentis

IO ANN. OECOLAMPA. RESPONSIO.

præsenti iniusticia furent. Cur non magis eos, qui commeruerunt, puniunt? Nunquid fatorum ordinem impedient? Si consilium Dei est, quod plane stabit, quid frustra insanunt? Si timent iram Dei, quare se armant contra Deum, & cum calumniatoribus ueritatem persequuntur. Ceterum utcunque res habet, non patrocinor causæ nostræ, si quid sibi uel impij in se gerit. Utinam iudices primum ueritatem cognoscant, ut recte dijudicare queant, quinam publicam tranquillitatem interturbent. Hic sane periculi nihil est, & si quid erroris admittetur, minime tamen incommodaret, immo summa ad charitatem exhortatione liberaliter compensaretur.

VERVM V T de terrenæ reipublicæ incommodo frustrametuis, ita & cœlestium bonorum iacturam sine causa nobis innocentibus obijcis, quasi populum à spiritualibus abducamus, & à uisibilibus abstrahamus mysterijs, tandem fidem ipsam totam eliminaturi. Dic Rhetor eximie, qui sunt illi? & cōuince nos illos esse: quare nudas pessimorum criminū calumnias affers? Dic, quis Sacra menta iubet aboleri, & uisibilia mysteria negligi? nullos ex nostris indicare poteris: cupimus enim ea pristinæ dignitati restituī, nisi fortasse tu tantum tribus ceremonijs, quas apostolorum tempora ignorarū, & Episcopi miris augmentis temporū successu multiplicarunt, ut mysterijs uideantur derogasse, qui illis deroget. Verum earum natura est, ut si multiplicentur, spiritualis

AD BILLIB. PYR. DE EUCHARISTIA.

non tam reuelent, quam sua nimietate (maxime his, qui rationem eorum ignorant) occultent. Vnde Christianis paucissimæ sufficiunt, & sole istæ, quas apostoli post Christum agnouerunt, & acceptas à Christo tradiderunt. Iam in cœna, qua Christus recumbebat, quid uidebatur præter panem & uinum; & quis illa tollit? quis etiam tollit alia, que in cœna fuere nobis commendatae? Nam superflusio tua nihil ad cœnam, ut credas panem substancialiter corpus Christi: aut si ad cœnam pertinet, uter magis ad spiritualia inducit; num is, qui memoriam mortis Christi, sicut Christus præcepit, inculcat; uel qui presentiam carnis in pane absque causa docet? Satis dicit nos ad patrem caro Christi, si mortua esse pro nobis, resurrexisse & ascendisse credatur & annuncietur. Hæc est illa simplex fides, quam qui non habet, non intelligit, & extra viâ graditur, nec ueritatem inuenit. In his operibus potissimum nobis caro Christi seruxit, per que ad cognoscendam ineffabilem diuine misericordiæ abyssum, abunde instrueremur. Contra, si carnem in pane queramus, est quod misere humiliet mentes beneficiorum memoria insublime eueat. Carne Christi frui nobis non licet, non ideo uerbum caro factum est, sed ut ad patrem nos duceret: quo ministerio ubi functa fuerit, nihil à nobis præter gratiarū actionem requiritur. Neq; ipse Dominus (ut ar Augustini uerbis) inquit, uia nostra esse dignatus est, tenere nos uoluit, sed transire, ne rebus temporalibus, quamuis

IOANN. OECOLAM. RESPONSI.

quamvis ab illo pro salute nostra suscepis & gestis, hæ  
reamus infirmiter, sed per eas potius curramus alacri-  
ter, ut ad eum ipsum, qui nostram naturam à temporali  
bus liberavit, & collocauit ad dexteram patris, proue-  
hi atque peruenire mereamur. At nos, dum talia doce-  
mus, periclitamur' ne , ne omnis intercidat religio , &  
desinat esse fides, quum solus ille cultus Deo placeat, si  
in spiritu ac ueritate adoretur ? Potes igitur curas istas  
superfluas seponere, & suspicionibus atq; calumnijs adi-  
tum präcludere. Neq; enim cōscientias degrauamus, neq;  
turbas ciemus, neq; contemptis mysterijs à cœlestibus ani-  
mas abstrahimus . Tu quoq; cum tuis uide, ut innoxij si-  
tis, ego nunc ad alia pergo diluenda.

DE SACRAMENTORVM ET  
signorum distinctione .

ON oportebat uellicare Sacramentorum  
& signorum distinctionem : Nam quum Do-  
ctorum de Eucharistia sentētias, quæ tum oc-  
currebant, pro mea tenuitate suscepisse  
explicandas, ueteriq; prouerbio, sermone utendum sit  
ut nūmo, frustra nauassem operā, si reticuisseū uim uer-  
borum, quibus patres usi. Vbi enim uerba discrepare ui-  
dentur, nisi quomodo uarie accipientur, edocueris, non  
uideo quid frugis asequaris explanādo . Itaq; si roganti  
quomodo panis sit corpus, respondero quod sit Sacramē

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

tum corporis, nō extra oleas curram: quid sibi sermo ille  
uelit, annotans, maxime quū nō nihil erroris hinc emer-  
geat, id quod uel ex refragatiōe tua colliquescit. Est aut  
**Sacramen** distinctio illa: **Sacramentum** nonnunquam omnis recon-  
tum. ditionis doctrina, atque omne arcanum dicitur, etiam si  
desit aliquod symbolum quod illius admoneat. Dicitur  
autem et sacramentum symbolum arcane rei, quod distinctio  
nis gratia nunc symbolicum uel ecclesiasticum appelle-  
mus. Age nunc si hic distinguendo tantum piaculum ad-  
mitto, detur definitio cōueniens symbolico Sacramento,  
et apta illam, si potes, praedestinationi, que et ipsa Sa-  
cramentū dicitur, et uidebis quod nō cōgruat, praedesti-  
nationem esse sacræ rei signū. Quid igitur Sacramento  
rum distinctio tanta supercilij severitate obiicitur? Aut,  
situ tam felicis es Mineruæ, neque distinctionibus eges,  
quid crassioribus, quibus liber scriptus, tua præiudicat  
acrimonia? Conducebat etiam minus exercitato lectori,  
aliam signorum sectionem scire, ut nostra ab alijs dis-  
criminaret dexterius: quam si et tu non respuiſſes, ali-  
cubi minus impegiſſes. Sunt autem signa fidelium, qui  
bus fidem suam teſtantur: ea symbola interim uocamus,  
uel tessaras: sunt et infidelium signa, que prodigia di-  
cimus. In illis nulla fit materiæ mutatio, neque nouitas  
datur miraculorum, neq; captus intelligentie superatur:  
In his uero inuestigandis, mens humana succumbit: et  
qui ea requirunt, fidei sue uel inopiam uel paruitatem  
requirunt

## IOANN. OECOLAMPA. RESPONSIO.

requirunt. Iterum opinor, quum hæc patrum sententijs,  
nihil impedientibus scripturis, confirmem, mitiorem me  
reor censoris auctoritatem: sed tu adeò indulges cōtentio  
ni, ut etiam dubites, num Baptismum & Eucharistiam  
signaliceat appellare, quod nemo unquam uel subdubi  
tauit. Num & de Circuncisione ac Pascha controuertis  
an signa fuerint, quæ tamen nostris respondent? Qua  
re adhibuit Dominus panem ac uinum & aquam, si no  
luit esse symbola? Iam non video quo pacto firmes no  
uam illam inter Ecclesiastica & prodigiosa signa diffe  
rentiam, quod ab illis abstinere nephas, hæc uero respue  
re phas esse censes. Nullum equidem sanctorum legi, qui  
signum offerente Domino respuerit. Nō respuit Mose, nō  
Ezechias, non ipsa uirgo Maria, non ullus sanctorum:  
sed impius Ahaz obloquitur, & dicit: Non tentabo Do  
minū. In ecclesiasticis, præsertim in Eucharistia plus liber  
tatis est: nā nisi charitas in proximū urgeat, non est quod  
cogat. Ad instituēdum igitur lectorem, ne indocile fac  
rem, Sacramentū nostrum afferui nō esse ultra humani  
ingenij uires, neque aliquid hic miraculi: tu utrunque  
negas, Augustinus tecum utrunque afferit, utut sudes,  
& ab illo eripere te nitaris.

G A V D E O aūt, quod diuum Augustinū magnificas,  
qui semper maximi nominis fuit: & dignus est qui ob in  
genij excellētiā magnus habeatur. Huic ego in hac cau  
sa, tanquam Ecclesiastico Doctori, certissima docenti,

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA  
libens subscripti: tu uero cauesis, ne si tua sententia pa-  
rum fauentem agnoueris, cum refutans, magnam uerita-  
tis iacturam patiare: non quod authoritatem eius cano-  
nicæ scripture conferam, sed quod putem graui pericu-  
lo carere, illum fidei charitatisq; seruantiissimum patrem  
sequi: nam quisquis talibus uirtutibus instruclus est, nimi-  
rū tutus in scripturis ambulabit, etiā si parvū argutus &  
dexter alicubi inueniatur. Sanè si tantum erat illud dog-  
ma, haud suspicor illū nō intellexisse uerba Christi, & ei  
ab Ambrosio tātum mysterium non reuelatū. Quod autē  
tu in lectione sententiarum illius offenderis, in causa est,  
quod adulterina quedam & decurtata pro germanis &  
integris prosers: id qui cognoscunt, non mouentur mula-  
tum dictis tuis, imo in sententia sua confirmantur, ani-  
maduertētes quantum adhuc tibi desit ad Doctorum, ne-  
dum ad uerbi Dei mentem referandum.

PRAETEXTV FIDEI NON Q. VAM=

uis opinionem confirmari.

**N**IHL confirmat tuam opinionem fidei ia-  
ctantia, quæ si aliquid ad vincendos adver-  
sarios faceret, facile absque conflictu, quo-  
ties uelles, triumphares. Fide, inquis, my-  
sterium illud potius, quam ullis mentis nostræ perscruta-  
tionibus complectamur, quum sciamus mentem nostram  
tantu[m] secreti incapacem. Hæc tu dicis. At dum sic argu-  
mentaris,

ICANN. OECOLAMP. RESPONSIO.

mentaris, uel dogma facis, quis petit principium? quis  
controversa pro confessis adducit; id quod mihi obiicis?  
Nonne & hæc probanda erant? Evidem scio fidem,  
intelligere aliquid cupientibus necessariam. Vere enim  
dictum est per Prophetam εὰπ μὴ πιστεύσῃς, οὐδὲ credideri-  
μὴ σωθῆται. Et in scholis tritissimum est, Oportet disci-  
pulum credere. Frustra Prophetæ præmonent, frustra  
Doctores erudiunt, frustra libri leguntur, nisi fidē apud  
auditores inueniant: frustra Deus ipse loquitur, nisi illi  
ut ueracissimo magistro nos committamus. Porro, sicut  
necessarium est credere, ita circūspectione opus, ne cuius  
uis credas, & ne pseudoprophetū pro propheta, ne Sa-  
tanās pro angelo lucis, ne lupus pro pastore fidem tuam  
sibi uindicet. Sapienter & ille loquutus est: Qui cito cre-  
dit, leuis est corde. Noli me tam deploratum exsistimare,  
qui primarie ueritati gloriam dare nolim, qui uerbo pa-  
tris non cedam, qui ministros illius asperner: Omnia illa  
suum apud me locum habent. Ceterum quoniam salutis  
meæ causa agitur, prōficientia mihi opus fuerit. Hacte-  
nus mihi non parum obfuit temeraria credulitas, cauen-  
dum, ne nunc magis obfit. Ita credendum & docendum,  
ut & fidei rationem dare possim: non quod de omnibus,  
que a quopiam queri possent, tale quiddam gloriose pol-  
licear, sed hoc loco, inquam, memorē me esse decet, ne  
ingratus sim Deo meo, cuius aliquātam cognitionē, tam-  
etsi postremus omnīū, acceperim. Non ignoras me con-  
sentire

AD BILLIBALD. DE EVCHARISTIA

sentire in omnibus, que uel per prophetas, uel per Apostolos credenda suscepimus: sed cuiusuis, uel etiam iustae partis eorum, qui Christi nomine censentur, interpretationi addictus non sum. Certum est in Ecclesia, que à Christo non relinquitur, uerum sapientie thesaurum residere: sed illa sincera à paucis quibusdam spiritualibus poscidetur, quos non raro mundus persecutur maxime. Evidenter sèpe in frequenti piorum, & pro spiritualibus habitorum multitudine circunspexi, uixq; unus & alter occurrit, qui iuxta uerbum domini responderet. Mire dispensat Deus dona sua, uni plus, alteri minus concredens. Imprudenter igitur agit, qui iuxta vulgi arbitrium credit, & non ut iij, qui à Domino edociti. Quod si omnibus, qui dicunt, Credite nobis, etiam si animam suam temerario iuramento fideiubentes impingarent (ut est inuenire quosdam tam crassos impostores.) nos crederemus, quis tam prodigiosus error cogitari posset, qui nō recipiendus foret? Facile est locum unum & alterum ex scripturis proferre, at non omnium est fidelis interpretatio, nec spiritus literis sacris dignus, sicut nec omnium est fides. Oles Christi ut nō omnes, ita nec omnia audiūt, sed solam pastoris uocē: præter quam quicquid allatum fuerit, etiam ab angelis anathema est: recipiunt uero ea, quæ gloriae Dei maxime consentanea, & ex sacris literis allata, fidem charitatemq; nobis commendent. Sanè simplex fidei nomen, ouillum est tegmen,

sub

IOAN. OECOLAMPAD. RESPONSIO.

Sub quo lupus se occultare potest, dum pro fide se uenit  
ditat opinio, ex humanis commentis conflata. Fides iuxta  
Apostolum, argumentum est eorum quæ non uidentur.  
Quibus uerbis non dicit recipienda ea, quæ non ueri-  
similia, & omnibus modis pugnare uidentur, sed quæ  
quodam modo, quum procul absint, tanquam assint, ob  
analogiam quandam colligantur, suauiterq; gustentur.  
In Eucharistia autem uestra, postquam didicimus ex ore  
Christi, carnem eius ad corporalem esum inutilem, id ar-  
gumenti uel substantie non compáret, quo pacto igitur  
fide gloriamini? Video quod indigno uerborum Domini  
in intellectu periclitari: neque enim uerba hæc, Hoc  
est corpus meum, uel me impugnant, uel te deffendunt,  
ut credendum sit panem esse reale corpus. Porro, dum  
dicas esse miraculum, omnem sensum & naturæ ordinē  
exuperans, alijs & pluribus uerbis ut probes, tibi opus  
fuerit, sic nobis non satisfacies. Similiter non tam leuis  
ter recipimus tantam in his mysterijs esse arcanorum  
profunditatem, quantam est in prædestinatione, scriptu-  
ris hoc probandum erit. Videbimus autem paulopost,  
quomodo miraculum adesse colligas. Nunc ignorare te  
nolim quod mentem tuam in hac opinione satis capis-  
am, & frustra præmoneas, à magno timore liberaturus  
me, solita grauitate dicens: Confide uir bone, aut si ma-  
uis, optime: nō enim timendum tibi erit, ne quis Christo  
sub forma panis auriculā demordeat, aut aliam quandā.

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

» partem corporis dentibus detruncet, tametsi sub illa ue  
» ra caro & sanguis Christi continueatur. Nunquam hoc  
metuerim, Bilibalde, Christo meo in cœlis regnanti: uti  
nam illum incredulitate, superstitione, & blasphemis  
non impugnaremus, satis à dentibus nostris caro eius tu-  
ta erit. Non suspicor tam crassam membrorum eius dila-  
cerationem, scio quid sentias, nam plus satis diu & ego  
hoc in errore uer satus sum. Nihilominus crudele mihi ui-  
detur, & Thiaesteo prandio aßimile, quicquid de tā glo-  
riosi corporis esu præter dignitatem afferitur. Non te  
honestat quale cunque hoc glossema, cuius suco causam  
iustificare studes. Etenim si in pane caro est, ut afferitis,  
panisq; substantialiter ac realiter est corpus, licet ini-  
sibiliter, quod nunquam probari poterit, consectaneum  
quod esu panis Christum in nos traiçiamus: saluumq;  
ac integrum in nobis maneat corpus Christi, sicut Iona  
in uentre Ceti (ignosce crassa crassius scribēti) intactus  
fuit. Utique & illa tubercinatio dignissime humanitati  
Christi parlū honorifica fuerit. Posset contentiosus aliis  
simili ratione contendere manducandam carnem, denti-  
busq; frangendam & attrectandam, sensus tamen deci-  
pi docere, ac subdere cauillum: Frangitur quidem cor-  
pus, dentibus & manducatur, sed iniisibiliter: atq; hoc ca-  
uillo tueri liceret quicquid uspiam fingeretur, constaretq;  
belle absurditas, quam Beregarium Nicolaus iurare coe-  
git. Honestius forte fuerit aliud glossema: Panem quidem  
manducari

IO ANN. OECOLAMP. RESPONSIO.

manducari dentibus, corpus autem Christi spiritualiter  
edi. Quod si uerum est, quid nobis illo in pane opus est  
corporis quod in pane datum, non manducamus ea man-  
ducione, qua panis editur, sed qua citra panem edi po-  
test. Et panis materia, propter nobilissimam carnem Chri-  
sti sibi unitam substantialiter, nobilior erit manducantis  
carne, addo etiam Diuinae uirginis utero: Nam panis sub-  
stantiue secundum uos caro est, carnem autem Christi  
caro nostra non attingit, utpote insensibiliter presentem:  
sed panem sumit caro, & animus spiritualiter reficitur.  
Item quando caro Christi in utero Mariae concepta, non  
erat ultra substantialiter caro Mariae, sed iuxta uos. Pa-  
nis substantiue est corpus Christi. Si Christus in pane est,  
quocunq; locatur ac fertur panis, eò simul & corpus fer-  
ri necessarium erit, est enim panis: ludereq; licebit cum  
illo, ut sursum ac deorsum, ante & retro in pane trans-  
feratur ad omne ministrantis arbitrium. O exinanitam  
rcgis regum maiestatē, ô neglectam crucifixi gloriam.  
Perde me Ihesu Christe subi. nea morte, si hæc in tui no-  
minis ignominiam dolose corde loquor. Tu nosti arcas  
na cordium, & quid hæc uerba exprimat. Non enim ui-  
deo, quo pacto id tibi gloriosum, uel quid inde utilitas  
ad nos redeat. Quid enim faciet in pane utiliter caro?  
quum sensibiliter caro faciat, si quid utiliter. Hic autem  
inuisibilis, modisq; omnibus insensibilis adesse dicitur.  
Quid igitur de euasculis illis aliud sentiendum, quam  
sunt & præstigies

AD BILLIBALD. DE EUCHARITSIA

Pergam autem nunc ad argumenta, quibus tu miraculum illud maximum astrarueris conaris: quae ubi uana esse conicero, fidelius ostendā quomodo tu frustra sudaris in diruendis his que per me allata sunt. Affers autem & Doctorū sententiās, & Christi uerba, utraq; minus fœliciter. NIHIL CONTRA ME FACRE, QVAE ex probatis citantur authoribus.

ON SVNT paris autoritatis patres, quorum cōtra me adducis testimonia. Alios enim, quatenus cū uerbo Dei non pugnant, libenter recipio, nempe ueteres illos, Augustinum, Origenem, Chrysostomum, & similes. Alios uero recentiores, qui absq; iudicio, & ruditer scripturam trans̄stant, ualere fino: è quibus in hoc argumēto est Theophylactus, qui et tuus Anathasius est. Alios deniq; obscuros & incertos planè non agnosco, quandoquidē temere que ignorabant affirmāt. Tu uero ut iusta exercitus spaciem educes, robustos ac imbellies subsidarios armas.

PRINCPIO Augustinum libenter sequor, cuius tu librū citas, quem nūquam ipse agnouit. Profer tu librū sententiārum Prosperti, qui est Agustini, ut ex his que præcedunt ac sequuntur, mentem beati patris cognoscere liceat. Minime enim tutū fuerit ex consarcinatoribus illis multa cōfuse, perperamq; ac falsis titulis confundentibus deponere. Assignare oportebat ubinā talia diceret Augustinus, id quod ego feci, ne quis aliquid fidei in me defuderaret

IOAN. OECOLAMPAD. RESPONSIO;  
deraret. Ecce in primo tuo dicto, profers: ipsum quidem,  
& non ipsum corpus quod uidebatur, mutabatur: ipsum  
inuisibiliter, & non ipsum uisibiliter. Et addis: item & si  
necessere sit illud uisibiliter celebrari, necessere tamen est in-  
uisibiliter intelligi. Quibus dictis responsum est. Sunt autem  
decerpta ex Commentarijs Psal. 98. In Decretis fallit titu-  
lus, allegans epistolam ad Irenaeum, neque fideliter citata sunt.  
Qui uoleat, consulat authorem, & inueniet in eo loco de  
ceremoniali isto Sacramento nihil agi: sicut interpretatus  
sum in libro de uerbis cœnæ. Quod licet disimules, non  
deerunt tamen, qui expedent qua fide mecum egeris.  
Enarravi autem locum istum, antequam proferrem testimoni-  
num illud, Caro non prodest quicquam. Nihil praeterea  
lego, quod ex Augustino afferas & afferre possis: quam-  
uis glorieris omnes libros eius hac opinione refertos, q[uod]  
uera caro Christi in altaris Sacramento continetur. Nam  
quod adducis ex libro sententiarum Prospere, non solum  
Augustino Prosperoque, sed & Sorbonicorum minimo in-  
dignum, & tu interim eo studes uictoriæ reportare: sed  
falleris, nosco n. Augustinum, & fucatum illum non curo.  
Gratia Deo, q[uod] manifestantur opera tenebrarum. Neque tam  
contrarius sibi est August. nec tam hebes, nec reuocavit ea  
qua de Doctr. Christiana scripsit, quem librum nimur haberi  
comendatum uoluit. Miror te tam uirum tam sordida  
conuerrere testimoniorum rudera. Dicit ille personatus in-  
ter cetera: Oibus modis contedimus (uide humilitatem uiri)

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

sacrificium duobus modis confici, duobus et constare (o argutias) nempe uisibili elementorum specie, et inuisibili Domini nostri Ihesu Christi carne et sanguine, Sacramento et re Sacramenti (nōmne omnia dilucide?) sicut Christi persona constat, et cōficitur ex Deo et homine, quū Christus sit uerus Deus et homo: quia omnis res illarum rerum naturam et ueritatem in se continet, ex quibus conficitur. Bellum Pigmentarium tanta nobis Sacramenta conficiens, ut nouam suppositionem maxime admirabilem et scripturis ignotam habeamus. Me certe puduit superiore anno tantas nugas lectori diluere, quas tu nūc Augustini nomine honestas. Eiusdem farinæ sunt, que ex eodem libro postea citata. Verissimile est, quod illum nobis Rhoma parturierit, quando mirabilis non edocebat artibus: quod tamen nō asseuerarim, licet loge alia ad monarchiæ sue principatum seruandum fixisse dicatur. Phrasis non nihil docuit dijudicare. Proinde quid uel Vercellis, uel Turoni, uel Guarmacie absq; uerbo Dei Episcoporum simplicitas, ne dicam rusticitas decreuerit, me non moratur. Satis multa declarant quoniam spiritu illi prædicti fuerint. Et dignus erat Nicolaus ille, qui Berengarium ad impietatem credendam adigeret: cuius crassissimam hæresin neque Theologi, neque Decretistæ satis excusare poterint. Quantum mihi ius Canonicum cognitum, nescio aliud P̄tificem, qui maioris

IOANN. OECOLAMP. RESPONSIO.

ioris blasphemiae, tyrannidisq; literas rescripsit.

IVVENTCVS uero Hypphanus, quia carmine hystoriam Euangelicam comprehendit, & uerbum fermè uerbo reddidit, prout metri ratio patiebatur, de myste-rijs loquitus est, quemadmodum Euangelistæ: unde & eandem, quam illi, recipit expositionem. Neque enim paraphrasin scribit, nec quod tu probare uis, miraculū esse testatur. Porrò si urges uersum illum:

Edocuitq; suum se diuisisse cruentem,  
quasi in poculo fuerit crux, nihil tale apud Euangelistas  
comperies. Vnde in mysterio dictæ esse perspicuum, & in  
eo quo apud Euægelistas sensu, de quo dicetur suo loco.

AMBROSI librum de sacramentis ne teruncium  
quidem ualere autumant: imò liber ille qui circumfertur,  
Ambrosij non est, sed cognati eius, qui sententias Pro-  
speri nomine Augustini Rhamanis Pontificibus uendi-  
tauit. Scriptit quidem Ambrosius librum de Sacramentis,  
qui utinam extaret: nam illius & Augustinus meminit  
cap. 4. libri Retractionum, cuius initium, Sunt præ-  
cepta quædam, quem Augustinus in libris de Doctrina  
Christianæ, in plerisque immitatus est, opinor. Utinam  
pro supposititijs illis extaret, sed exercitatos oculos men-  
tis habentibus, non officiunt adulterina. Itaque ab Am-  
broso nobis nihil periculi. Abude ex alijs eius Commen-  
tarijs colliquescit ipsum nō tam abiectæ fuisse fortis, qui  
in re tanta ita desiperet.

## AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

CYPRIANVS uenerabilis ac sanctus martyr,  
non inhoneste à me citatus est, cuius quum obscuriorem  
locum à parte nostra stare ostenderim, quid opus erat  
alia minutiora transcribere? Neque enim gaudet tam  
prolixis libris. Et quis oro negat Christum uocasse panē  
corpus suum? Nulla super hac re lis est, sed in quem sen-  
sum dixerit panem corpus & uinum sanguinem explicare  
oportebat. Quid autē opus illa geminata exclama-  
tione, quasi coram surdo, Audi audi! quum nemo eat in-  
ficias Christum uocasse panem corpus, & uinum san-  
guinem. Iam in Epistola ad Billicanum, & libro primo  
testatus sum Tractatum de cæna Domini tam nō esse Cy-  
priani, quām non est meus, proinde anonymo libro non  
responderim. Tu uide quibus auxilijs fretus sis, & quas  
gratias his, qui tam insignes locos commonstrarunt, de-  
beas, ne ingratus sis.

ORIGENEM quur tu citas, quum totus nobis sus-  
fragetur? quur non respondisti ad ea que ille pro no-  
bis tradit? quur non subdis que ille adjicit? Ego si non  
nunquam breuior, idq; citra sententiae periculum, de-  
pravator, dolosus, prestigiator, ac impostor uobis sum,  
quam igitur tua abbreviatiōne gloriā tu mereris? Ori-  
genis uerba, que tu affers, hæc sunt: Bibite, quia hic  
est sanguis meus noui testamēti, qui & bibitur & effun-  
ditur: bibitur quidem à discipulis, effunditur autem in  
remissionem peccatorum commissorum ab eis, à qui-  
bus

IOANN. OECOLAMPA. RESPONSIO.

bus bibitur & effunditur. Hæc sola dicas, cetera quæ ad rem attinent, omittis. Supra enim dixerat quomodo sanguis biberetur, dicens; Potus est uerbum agniti vius Christi, secundum mysterium eius nativitatis ac passionis. Subdit item uerbis per te propositis. Si autem queris quomodo effunditur, discute cum hoc etiā quod scriptum est: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Si autem sanguis testamenti infusus est in corda nostra in remissionem peccatorum nostrorum, effuso eo potabili sanguine in corda nostra, remittuntur & delentur omnia quæ antea geſsimus peccata. Hæc si annotasses Bilibalde, sincerius egisses utique. Vult enim, si ita agnoscamus beneficium passionis, ut dulcedine amoris irrigentur & inebrientur corda nostra, tunc effundi sanguinem, non si unum substantialiter sanguis sit, sed si charitatis fervor in nobis innascatur. Vesta somnia non somniat.

NEQUE ATHANASIVS sententie tuae calulum addit: nomen enim illius affers, sententiam non affers. Nam quæ à te dicuntur, Theophylacti sunt, quem tibi libenter relinquo, ut papisticum, & Bandino tuo non multò superiorem. Evidem quanvis illum ad amicorum preces latinum fecerim, fideliter uertendum putas ui, animaduertens nonnulla in eo desyderari, quæ lector sua lectione dijudicaturus esset.

## AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

QVID autem Cyriillum accersis, qui Eucharistiae,  
in sententia quam profers, non meminuit? Proinde quir  
illi responderem?

SIMILITER Chrysostomus tam fideliter usui tuo  
seruiet, quam bene de illo mereris, patronum erroris ué  
stri faciens. Neq; opere preicum fuerit denuo resellere  
ea, que ex illo præter mentem authoris à te cōgesta sunt,  
non sunt enim contra me, ut olim monstravi. Enarratio  
nes meas quir omisisti, uir caudice; imò quir non sub  
uertisti, uir strenue? neq; enim per transcursum legisse  
te libellum meum ostendis. Ille de mandatione carnis lo  
quitur, quam & uos solam spiritualem esse testamini. Nec  
dicit Chrysostomus, quod Christus comederit carnem su  
am, uel biberit sanguinē suum, sicut tu tradis, sed bibit  
ex eo poculo scilicet. Porro in Homilia 20. quum sangu  
inem Christi potum, serpentes & uermes excidio trade  
re dicit, num de mystico usu loquitur, uel de pia mortis  
meditatione? Si de ritu mentionem fecisset, adiunxit set  
& carnis mandationem. Vnde posterius uerisimile.

THEOPHYLACTVM, si uis esse tuum, po  
tes & omnes papistas tibi adiungere. Etenim in hac re  
illis subscriptibit, & tantum non transubstantiationem po  
nit, caputq; Ioan. 6. sicut illi interpretantur. Vides nunc  
quem exercitū in me armaueris, quam imbellis sit, quam  
lente me impugnet, quam parum te protegat? Et inter im  
gloriaris multas alias priscorum authoritates te recense  
re potuisse

IO ANN. OECOLAM. RESPONSIO.

re potuisse. Nō ignoro autem quales sint: illis enim res censitis, non multò sunt solidiores. Cæterum ut ego patrum dictis non sum confisus, sed uerbo Dei addictus, ita & te audiam libentius de uerbis Christi differētem: sed in his multò frigidissimus es, nullaq; ex parte obes.

NEQ; VE CHRISTI VERBIS ADVER= sarij sententiam suam stabilire possunt.

**P**RAESTOLABAR aliquid solidius te circa uerba Domini dicturum, sed his solis contentus es, quibus & papistæ sacrarum literarum imperiti ludunt. Dicis enim Christum promisisse in sexto capite Ioannis: Nisi manduca ueritis carnem filij hominis, &c. Et panis quem ego das bo, caro mea est. Hæc est munitio tua, hæc est fortitudo. Verum nisi aliter munitus fueris, actum est tecum. Aliud enim ibi promittit & petit à nobis, quām sacramentaris ritum. Remitto te hic ad Lutherum, cuius libros de Eucharistia toties mihi commendas, quasi ego tanti ingenij facturas despiciam. Ecce ille tuus tuum præsidium potenter impugnat. Dicit enim in lib. de capt. Babylonica: Principio caput Ioannis sextum in totum esse seponendum, cō quod ne syllaba quidem de sacramento loquatur: non modo quod Sacramentum nondum esset institutum, sed multò magis quod ipsa sermonis & sententias rum cōsequentia de fide incarnati uerbi Christum loqui

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

clare ostendunt. Dicit enim Verba mea spiritus sunt,  
ostendens se de mandatione spirituali loqui, qua qui  
comedit, uiuit: quum Iudei de carnali eum intelligeret,  
ideoq; litigarent. At nulla mandatio uiuiscat, nisi fi-  
deli. Sicut et Augustinus dicit: Ut quid paras uentrem ac-  
dentes? Crede et manducasti. Sacramentalis enim non  
uiuiscat, cum multi manducent indigne, ut non possit de  
Sacramento hoc loco loquitus esse. Sunt sane quidam  
his uerbis ad Sacramentum docendum, abusi, ut et De-  
cretalis, Dudum: et multi alij. Sed aliud est abusus scri-  
pturas, aliud legitime intelligere, alioquin, quum di-  
cit: Nisi manduaueritis carnem meam, et biberitis  
sanguinem meum, non habebitis uitam in uobis, omnes  
infantes, omnes infirmos, omnes absentes, aut quo-  
modo impeditos, a Sacramenti mandatione dam-  
naret, quacunque fide prestarent, si sacramentalem tibi  
mandationem praecepisset. Sic Augustinus libro secun-  
do contra Julianum, ex Innocentio probat etiam infantes  
citra Sacramentum manducare carnem, et bibere  
sanguinem Christi: id est, eadem fide Ecclesie commu-  
nicare. Sit ergo rata haec sententia, Caput. 6. Ioannis ni-  
hil ad rem facere. Nonne Lutherus omnia tela tua retu-  
dit? Igitur intentio tua ( uerbo tuo utar) neque Christi,  
neque Doctorum testimonij firma est: et affirmatiuam  
tuam nondum probasti, ut gloriaris, quare frustra instas:  
probem negatiuam meam per se probatam, nisi affirmatiuam

IOAN. OECOLAMP. RESPONSI.

tiuam tuam communias: & nondum ceciderunt ea quae protuli, quantumvis me contemnas, laceres, facereq; stu-  
deas ridiculum & abominabilem, tanquam mendacem  
ac hypocritam, hereticissimumq; blasphemum.

NODVM AVGVSTINI IN PSAL.

33. à me recte explicatum.



RANSEO nunc ad vindicandam arma-  
turam meam adhuc saluam, sed ne sermo fiat  
obscurior, hanc posthac in respondendo se-  
riem seruabo. Primum declarabo authoritates patrum  
bona fide per me adductas: deinde, coniecturas meas,  
quod nullum nouum miraculum in materia panis, &  
Ecclesiasticis ceremonijs contingat, docebo non esse eu-  
nidas. Pre ceteris, testimonium Augustini in Psalm. 33.  
absque dolo propositum ostendam. Dicit enim: Fereba-  
tur Christus in manibus suis, quando ipsum corpus suum  
comendans, dixit: Hoc est corpus meum. Pari diligentia  
ac fide obseruatum est, quod dicit: Norunt fideles & uer-  
bum. Quodammodo & uerbum commendauit. Non opus est  
hic, ut maledicentia tuam retaliem, qui authores penitus  
excutient, uidebunt clare, in utro desyderetur aut fides  
aut diligentia, uter' ue immodico deffendendi erroris af-  
fectu ducatur. Quare in citandis illis Augustini uerbis  
non affers simul ea quae ad declarationem illorum fa-  
ciunt, nempe uel paucula ista: Ipsa est humilitas domini

AD BILLIB. PYR. DE EUCHARISTIA

ni nostri ihesu Christi. Si tam candidus es amicus, quare uerba illa non expendis? Si corpus in pane est illa humilitas Christi, igitur hodie non est glorificatum: uel glorificatum & non glorificatum. Adhuc enim illa humilitas perseverat. Est' ne hoc commendare corpus, panem in corpus mutare; uel facere corpus panem substantialiter? Commendamus homines, uerbis, literis, picturis, & symbolis, sed illos propterea non includimus uel literis, uel uerbis, uel signis. Non ignoramus quid sit commendare, ut ut flagellamur a uobis. Porro, quod iterum uersiculu quendam Augustini annectis magna exultatione, confessabat negocio, bonam partem eius Homiliae annotare, si quidem sensum eruere uoluisse. Nam quod Augustini uerba, Nisi humilis esset, non manducaretur, cum sequentibus contulisses, neque ipsa contra me produxisses. Documentum erat quid apud illum esset manducare & bibere. Loquitur autem sicut Ioannes sexto capite, & copiosis uerbis se declarat, quorum quedam ascribam. Notus est, inquit, Dominus noster Ihesus Christus: In corpore & sanguine uoluit esse salutem nostram. Vnde autem commendauit corpus & sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim humilis esset, nec manducaretur nec bibetur. Quibus uerbis dicit, neantquam futurum fuisse nobis cognobilem & commendatum Christum, nisi se humiliasset. Et hoc est commendari, fieri manducabilem, & animis nostris suauem atq; gratum. Sic enim subiungit:

IOANOE COLA MP. N. RE SPONSIO.

git: In principio enim erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Ecce cibus sempiternus, sed manducant angeli, manducant supernae uirtutes, manducant coelestes spiritus, & manducant & saginantur: & integrum manet quod eos satiat & laetificat. Quis autem homo posset ad illum cibum pertingere? Vnde cor illi cibo tam idoneum? Oportebat ergo, ut mensa illa lactesceret, & ad paruulos perueniret. Vnde autem fit cibus lac? Vnde cibus in lac conuertitur, nisi per carnem traiiciatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minus idoneus est infans, qui pane uescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humilitatem mamillæ, & lactis succum de ipso pane pascit infante. Quomodo ergo de ipso pane pauit nos sapientia Dei? quia uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Videte ergo humilitatem, quia panem angelorum manducauit homo, ut scriptum est: Panē cœli dedit eis. Panem angelorū manducauit homo, id est, Verbum illud, quo pascuntur angeli, sempiternum, quod est æquale patri, manducauit homo: quia qui in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Saginantur ergo illo angeli, sed se metu ipsum exinanivit, ut manducaret panem angelorum homo, formem serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo, humiliavit se factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, ut de-

## AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

cruce commendaretur nobis caro & sanguis Domini, nō  
uum sacrificium, quia mutauit uultum suum coram rea-  
gno Abimelech &c. Vides quomodo manducabilis no-  
bis factus? uides que humilitas commendatur? uides una-  
de se commendauit, nō nō de cruce? Quid autem in cæ-  
na, quando ferebat corpus in manibus, ut ille dicit? quid  
futurum ostendit? Ilsa enim inquit, est humilitas Domini,  
ipsa multum commendatur hominibus, eò quod Christus  
in sui memoriam facere iubebat. Hunc modum mandu-  
candi posuit Augustinus, tuum uero illum mirabilem  
nec posuit nec nouit. Vnde & innocentiam meam apud  
equum lectorum satis excusari confido.

BENE SE HABERE QVAE DE NO-  
uem generibus significationum adducta  
ex Augustino.

**P**OSTEA, quando per nouem genera mi-  
raculorum & signorum, eiusdem Augusti  
ni authoritate ostendo miraculum in pane  
nullum fieri, iterum protua epiikia, philauton, et omnia  
ad causam meam trahentem me facis. At quid responde-  
bis, quum Augustinus ipse in pane fieri neget miracu-  
lum? & Sacramentorum rationem ab alijs signis longe  
discriminet? Putas' ne argutijs te euasurum, quod dicis?  
Si humanis tantū uiribus, & non potius diuinis panis &  
uini fieret cōsecratio, nullum fortassis ibi esset miraculum  
sed

IOAN. OECOLAMPAD. RESPONSIO.

sed quia miraculose institutum est à Domino, & non homo, sed uerbum Christi hoc conficit, maximo & admirando miraculo non caret. Pulchre dices Bilibalde, si quæ dicis, comprobares. Non latuit Augustinum qualiter hoc Sacramentum institutum, & quo pacto conficiatur. Nam si res habet ut affirmas, in epte Sacra menta Augustinus inter signa commemorat, quæ ab hominibus sunt. Neque enim de communi pane loquitur, qualis à pistrone uenditur, sed de eo, quo in mysterijs utimur. Nam de his ita subdit: Quia hæc homini nota sunt, quia per hominem fiunt: honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt. Hæc ille. Omnibus notum est sacro sanctum illum ritum à Christo institutum, sed tam admirabilis non est ut prædicatur: neque ut talis esset, ulla requirebat aut necessitas aut utilitas. Etenim sicut in agno paschali, qui patribus beneficij redēptionis ex Aegypto memoriam conseruabat, nihil supramodum insolitum siebat: ita neq; in Eucharistie ritu qui illi respondet. Nunquam etiam probabis quod Deus inierit cū sacrificiis uel alijs hominibus tale pacium, ut quoties uerba illi. Hoc est corpus meum, super panem dicāt, cōsecrant, sicut tu dicis, & impetrēt ut panis fiat corpus Christi reale. Haberent autem iuxta te talem potestatem tanquam ministri, uirtutem Deo suppeditante. An' non omnis uirtus à Deo? An' non omnia Deus operatur; etiam in alijs creaturarum ministerijs? Eſſe ministrum Dei,

**AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA**

est esse organum dei . Letaliter & de ministerio super= bire possumus, si plus Deum per nos operari, quam ope= retur, gloriemur . An non hoc pollicentur ambitiosi epis= scopi, ut tantarum rerū ministri fiant, quarum nec ange= li, nec uirgo Maria esse possent? Quid quod nonnulli & uerbis tantam efficaciam tribuant, ut illa ministrent & afferant, quod petitur? At ubi se Deus cum uerbis ita con= fœderauit? Qui error non procul abest à Magice . Ma= gice enim, ea quae astudæmonum sunt, propter occul= tum cum illis foedus, uim quandam uerbis, uel circulis, uel alijs rebus ascribit, quasi scilicet uerba externa aliud agant, quam quod significant & commone faciant . De qua re pluribus in antisyngrammate . Et tu uidēris uerbo externo plus nimium tribuere . Profecto dum dico : Hoc est corpus meum, quamvis id Christus dixerit, ut sacra= menti rationem explicaret, quid hisce ceremonijs com= mendet: non tamen à me dicitur, ut sit efficax, perinde ac si Deus ipse iubeat, id quod planè est hallucinari . Dixit aliquando Christus leproso: Mundus esto . Vides dei uer= bum? mundatus est leprosus . Deinde dedit & discipulis potestatem, ut mundarent leprosos: mundarunt & illi leprosos . Prodeant nunc sacerdotes, & leprosos eodem uerbo purifcent . Quanto minus hic nihil efficitur, ubi non est uerbum Christi imperans, ut panis fiat corpus suum, sed uerbum ceremonias exponens: deestq; iussu faciendi panem corpus, sed mandatur seruari cæne reli= gio?

IOANN. OECOLAMPA. RESPONSIO.

gio? Non enim tale pactum iniit Deus uel cum uerbo, uel nobiscum, ut ad prolationem uerborū continuo tale sequatur effectum. Hallucinaris prætere a hic in serpente eneo, cui præter significandi uim, in sua materia nihil noui accessit: tametsi interim propter fidem credentium Deo, qui serpentem aspiciëtibus salutem promiserat, mætacula fiebant. Sic & nunc non eo inficias, in legitima & pia sacramentorum perceptione, satis admirabilem fructum concedi: at qui mirabilia ista nō in pane, sed intra nos operatur Deus. Non enim sacramenti panis & uini figura fuit serpens, sed Christi: à quo ad eum accedentibus salus dimanat, Ioan. 3. quæ animum reficit. Videret hic potes quomodo nec mea nec Augustini uerba secum pugnant, & nunc hoc nunc aliud inconstanter assertum. Dicimus fieri mira, & negamus fieri: utrumque sententiae tuae nihil astipulatur. Negat Augustinus in pane mira fieri, libr. de Trin. 3. cap. 10. Iterum testatur in nobis fieri mira per uerba, per literas, perq; Sacramentum corporis & sanguinis, ut ad salutem proficiat spiritualem in memoria Dominice passionis. Dicit autem sic, eodem lib. cap. 4. Quod quum per manus hominum ad illam uisibilem speciem perducitur, non sanctificatur ut sit tam magnum Sacramentum, nisi operante inuisibili liter spiritu Dei: quum hæc omnia, quæ per corporales motus in illo opere sunt. Deus operetur, mouens primis inuisibilia ministrorum, siue aninas hominum, siue

## AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

occultorum spirituum sibi seruientes. Vides & hic ubi Deus mira operetur: & q per se Eucharistia non sit tantum Sacramentū: sed hoc mirum est, q Deus animas sibi seruientes, siue ministri sint siue alij, suo mirabili tractu suauiter moueat ac afficiat, dum memoria mortis sic annuntiatur. Habis itaque quod non contradicam mihi ipsi, & quomodo in Eucharistia miracula agnoscam & non agnoscam.

## PURE TRACTATVM ET ALIVM quendam Augustini locum.



ERCIUS quoq; locus Augustini adhuc inuictus est, opinioniq; meae nihil reluctatur, ut tibi uidetur. Verum huc repetere necessarium. Habet enim sic: Illas etiam nubes & ignes, quomodo fecerint uel assumpserint ad significandum quod annunciant, etiam si Dominus uel spiritus. illis corporalibus formis ostendebatur, quis nouit hominum? Sicut infantes non norunt quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione consumitur: unde uel quomodo conflatur, unde in usum religionis assumatur. Et si numquam discant experimento, uel suo uel aliorum, & numquam illarum rerum speciem uideant, dicaturq; illis auctoritate grauiſſima, cuius corpus & sanguis sit, nihil aliud credant, nisi omnino illa specie Deum oculis appa-  
ruisse mortalium, & de latere talem liquorē illum. omni-

IOANN. OECOLAMPA. RESPONSIO.

no fluxisse. Mihi autem omnino utile est, ut meminerim  
uirium mearum, fratresq; meos admoneam ut & ipsi me  
minerint uirium suarum, ne ultra quam tutum est, huma-  
na progrederiatur infirmitas. Hec Augustinus. Vbi tu me  
talibus uerbis urges. Dic, inquis, si infantes non norunt  
quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratio  
ne consumitur, nonne aliquid latet quod sensum eorum  
superat? Mi Bilibalde, quorsum te trahit contendendi  
libido? quam te tui facit dissimilem? quantum prestrin-  
git oculos? Parum enim fideliter queris quandoqui-  
dem Augustinus tam manifeste addit, unde uel quomo-  
do conflatur panis, & unde assumatur, & nunquam  
talem rerum speciem uiderint, illis nimis run facile im-  
peretur etiam in alia re, quum pueri sint, & audiunt cor-  
pus & sanguis, maxime quum tropum ignorent. Vult  
dicere, sicut tales pueri in pane decipi possunt, ita aliij  
simpliciores, si in linguis igneis spiritum sanctum no-  
minari audiant. Nam ad hoc aptat exemplum, ut si  
cuit non licet dicere ignem, quem uidit Moses, esse Deum  
substantialiter, ita nec panem esse corpus substantiue.  
Deinde tu iterum insurgis, quod si tropum latere dicis,  
quid ad hæc respondebis, quod addit? Si grauissima illis  
uoce dicatur, cuius corpus et sanguis sit, illos credere no  
posse: q; si nec corpus nec sanguis ibi latet, quur Augusti-  
nus manifestis uerbis corporis & sanguinis mentione  
facit? aut quur, si miraculū no est, illi credere nequeunt?

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

Mi Bilibalde, & hic desydero fidē tuam. Augustinus dicit, non aliud credant, tu infers, credere nequeunt. Augustinus inquit, grauiſſima uoce dici cuius corpus sit. Hoc est solennia illa uerba annunciarī, Hoc est corpus Christi: non dicit quod uerba illa enarrent esse panem ſubſtantialiter corpus. Ignari autē ſunt pueri, quia pueri, non quia miraculum in pane. Ignari ſunt mysterijs, cuius cauſa cāna fit: non cānæ quam uident. Ceterum manifesta eſt mentio corporis ac ſanguinis, non quod pa- nis uel uinum ſubſtantiae talia ſint, ſed quod commemo- ratio illorū (ut in ceremonijs moſ eſt) ac celebratio ſiat. Nōnne pueri audientes in die reſurrectionis, & imagi- nari poſſent Christum tum primum resurgere, ſi audi- ant, Hodie resurgit ex mortuis Christus? Edoceri facile poſſemus, ſed nolamus. Fruſtra & hoc te poſtremum mouet, quod confeſſim ſubiungit Auguſtinus, ut recitas:

» Quemadmodum hæc ex occulta ſede altissimi ſiant, nec  
» oculorum acie penetrare, nec fiducia ratiōis enucleare,  
» nec proiectu mentis comprehendere ualeat. Hæc profe-  
» cto uirtutus nunquam dixiſſet, ſi Christus uerba iſta,  
» Hoc eſt corpus meum, non uere, ſed per tropum enun-  
» ciasset. Certe ad tropum iſtum & memoriam habēdām  
» humana ratio pertingere poſteſt: ad modum autem tanti  
» ſecreti, & quo pacto panis in carnem uerti queat, ne-  
» quaquam. Ita tu Aguſtinum traxas. Verum ille multo  
secus loquitur, cuius tu uerba pleraq; nescio qua ſimpli-  
citate

IOANN. OECOLAMP. RESPONSI.

citate omittis. Sic enim dicit: Quemadmodum enim hæc faciunt angeli uel potius Deus, quemadmodū hæc faciat per angelos suos, & quantum etiam fieri uelit per angelos, siue sinendo, siue iubendo, siue cogendo, ex occulta sede altissimi imperij, nec oculorum acie penetrare, nec fiducia rationis enucleare, nec proiectu mentis comprehendere ualeo, ut tam certus hinc loquar ad omnia quæ requiri de his rebus possunt, quām si essem angelus aut propheta. Hæc sunt sequentia Augustini uerba, fidelius à me quām à te transcripta. Loquitur autem non de sacramētis, quæ paulo antea ostenderat homini esse cognoscibilia, sed de ijs quæ per angelos uel prophetas iuxta alias significationum genera Deus facit. Hinc perspicuum est, quod dum miracula per angelos facta non cognoscimus, & sacramentorum rationem non ignoramus: tuq; in his uerbis comprehendere me niteris, dum incircumspectius fallacē me facere conaris, tuā ipsius fidē misere traducis.

Q VOD CONIECTVRAE, Q VIBVS  
colligitur Eucharistiam apud priscos non fuisse  
tantum miraculum, non sint  
euaniidæ.



S T E N S V M est qua fide Augustini dicta,  
que à me fideliter citata sunt, uellicaris, nūc  
quām strenuus sis in diruendis conjecturis  
meis uidebo, qua siquidem tam nibili sunt:

## AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

quid in illis omnes uires tuas frangis; et postea in uerbis  
Dei quasi obmutescis? Verum habent suum robur con-  
iecturæ: et nonnunquam quò magis contemptibiles ha-  
bentur, eò plus efficiunt. Profecto illas ipse reiacerem, si  
uerbum Dei aliò duceret: sed quum multis alijs præfatijs  
cinctus sim, atq; adeò uerbi diuini præsidio, illas compe-  
rio multò inuictiores, quam cogitarā. Proinde illis usum  
me nondum poenitet, et tu illas nunquam subuertes.  
Porrò, conferamus coniecturas tuas et nostras, uidea-  
musq; utræ uerisimiliores: et tum cedat campo, cui mi-  
nus est iuris. Tua coiectura, imò tota argumētatio tua,  
quam susq; deq; ueras, hæc est: Deum esse omnipoten-  
tem, dixisseq; Hoc est corpus meum, ergo panis est cor-  
pus: et si dixisset de lapide, Hoc est corpus meum, cre-  
dendum esse et lapidem esse corpus. Laudo religionem  
tuam, et spiritus obedientiam, sed desydero scientiam:  
qua non tam uerba, quam mens uerborum spectantur.  
Etiam ipsi non contradiceremus, si Deo ita uisum foret,  
ut contemptu rerum ordine, corpus filij lapis fiat. Ab-  
sist enim, ut uel in minimo diuinae omnipotentie dero-  
gemus. At idem Deus non probat sensuum humilitatem,  
qui suis uerbis ut credamus iussit. Ex indigna uerborum  
Dei interpretatione facile mors anime solet subsequi,  
dum literam sequimur, et signa pro rebus accipimus.  
Addo et hoc, quod Deus non agit aliquid contra suum  
uerbum. Nostra autem fides ex uerbis Dei, habet Chri-  
stū

IOAN. OECOLAMPAD. RESPONSIO.

Si corpus esse in cœlo usque in diem aduentus illius gloriosi. Oportebat te in argumentatione tua uel unum locum proferre , è quo disceremus uerba Domini iuxta sensum turum explicanda . In hoc enim consistit tota disputatio , num hæc sit uerborum mens . Neque enim uel omnipotentia Dei , uel contextus uerborum , ut tuam ex positionem capiamus , euincit . Sed breuiter , Christus propheticō more , quid uellet ritus quem indicauit , signis & uerbis monstrauit . Quod si tu cum tuis tam pulchrum arbitraris contendere de uerbo , EST , prohibe te Christianis ne calceos portent & similia : urgete super Petrum ædificatam Ecclesiam : Adest enim uerbum , adest omnipotentia Dei , qui Petrum & quemuis Romanum Pontificem in hanc dignitatem eucchere potuit . Sed aliam mentem uerba postulant , que coniecluram & argumentationem tuam totam exinaniant . Nam iuxta analogiam fidei ea explicamus ad gloriam Christi , ac patris Dei . Ruit igitur tua et Ambrosij illius , quisquis est , inepta à possibili ad inesse ratiocinatio , neque opus habet ut multis impetratur arietibus . Cœueniebat Christum , expleto ministerio , ire ad patrem , & carnem suam uisibilēm auferre , cuius præsentiam Apostolis ultra inutilem testabatur : quanto minus erat utilis futura , inuisibilis & in pane ? & cuius præsentiam admirari nō sinitis , quidam ex uobis .

HABES autem & aliam coniecluram ex ueterum

AD BILLIB. PYR. DE EUCHARISTIA

poenitentia, qui lapsis in idolatriam uel alia crimina,  
Eucharistiam ægre impartebantur: quod nimis non  
fecissent, nisi præter memoriam passionis Dominicæ sub  
limius quoddam suspicati fuissent. Mihi Bilibalde, si cogi-  
tares tecum, zelum patrum iustò fuisse austriorem, non  
miraberis: dabo autem quod ista postularit temporum  
ratio, ne Ecclesia in Getibus uersans male audiret: facile  
tamen expendere potes, dignam mortis Dominicæ diju-  
dicationem, sumnum charitatis fomentum attulisse secū,  
ut dum in Christi memoria nos redemptos mutuum agno-  
scimus, etiam mutuum tanquam membra eiusdem cor-  
poris nos complectamus: unde & ὁ ἀρχέτυπος nomen.  
Et Paulus inquit: Panis quem frangimus, nonne communi-  
catio corporis Christi est? Solebant autem patres inter-  
orem aliorum, & gloriam Christi non facile ad commu-  
nio nem admittere insignes facinorosos, licet poenitentes:  
quò purius designarent Christi corpus mysticum. Porro  
nos non negamus q̄ Eucharistie simul sit monumentum  
mortis Christi, & charitatis Christianæ symbolum. Cae-  
terum qua cōsequentia colliges hæc illa tua stupenda mi-  
racula; Res hæc fuit apud priscos religiosa, ergo sum-  
mis miraculis fuit insignis, ergo continet corpus Christi  
realiter? Miram profecto Dialecticen, si nihil prete-  
rea mirum.

STVPPE AE igitur sunt conjecture tuæ ad asse-  
rendum miraculum, at meis impugnationetua, roboris  
quippiam

IOANN. OECOLAMP. RESPONSIO.

quippian accessisse appareat. Videtur ne tibi cōtemnendum argumentum, quod nullum celebrandum censeam miraculum, à scriptura sacra non commendatum? Suspectum enim & diabolicum, quicquid in illa non doceatur. Etenim scriptura ritum nouum, abolito veteri, introducit: mysterium Eucharistiae Iudaico paschae substiens, cuius interpretationem & significationē illis uerbis, Hoc est corpus meum, explicat: sicut præcedentia, sequentia testantur. Post unicam illam coniecluram, quod veteres non habuerunt pro miraculo, atq; adeò apostoli ipsi, quod nos, quæ nostra audacia, citra scripture autoritatem aliquid ita magnificare. Pulchra miracula que nemo miratus est, nemo etiam mirari potuit, quandoquis de m' nihil erat quod sensus in stuporem adduceret. Versabantur Christi, quæ discipulis perspicua erant, tibi autem hactenus obiecta, sitam arcanū sensum habuissent, ad admirandum utiq; prouocassent. In pane certe nihil noui apparebat. Quod si interrogasset super eare Dominum, non fuisset utiq; de re cōtemnenda. In summa respondere ut Suevis: Si admirati non sunt, non senserunt de eo quod uos sentitis: si admirati, utique aliter se gessissent, interrogando, colendo, gratulando, alijsq; modis: quod, ut rem scitu necessariam, scriptura nō obticuisset, quantumuis tibi contemptibilis uideatur conjectura.

FIRMA TVR autem & alia coniectura, quod miracula haec præter naturam miraculorū lateant, sensus

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

fallant, gloriam Dei non testentur. Non parui, inquam, facit Deus gloriam suam, semper autem vindicant, neq; ad solidandam fidem faciunt hæc miracula. Hæc dum lo quor, tu pulchre à ceteris arcanis & miris ad miracula, que præter ordinem rerum fuit, transilis. Mira sunt, alia signa, dum expectantur: sed ubi adesse cœperint, sensus non fallunt, alioqui præstigiae forent. Hæc tua miracula quid nobis exhibet; prædicant ne gloriam Dei, quæ abscondita? Quis iure inter dona beneficentiae com memorabit Christum impanari, & carnaliter edis imo horror est quandiu carnis cœna proponitur, de spiri tuali gratias agimus: atq; adeò de ritu, memoriaq; ipsa. Mira itaque sunt miracula, in quibus nec nostram utilitatem, neque Dei gloriam conquirimus.

FR V S T R A Et hanc conjecturam cōuelles, quod res tam difficilis creditu, nullo certo externo miraculo sit confirmata, quo ad credendum fieret facilior. Hactenus n. hoc ferè in rebus summis obseruatū. An' ridiculum tibi uidetur obseruare, quanta Deus faciat, que mentibus infirmis consolationem afferant?

LVDVS est, quod suspicaris resurrectionis miracula huc facere, nam testantur quidem Christum habuisse uerum corpus quod resurrexit: sed non docent illud fuisse in pane. Verum subodoro qua simplicitate id dicitur, nempe ut uulgo credatur, me negare Christum habuisse uerum corpus, sicut & titulus pollicetur.

Iterum

IOANN. OECOLAM. RESPONSIO.

Iterum hoc loco frustra ad uerba cœnæ prouocas, quæ manifesta . Tibi enim hactenus fuere adumbrata, & quamvis magna gloriacione nobis insultes, nondum ad mentem eorum peruenisti. Denique miracula, quæ Apostolorum tempora sunt sequita, nihil hic authoritatis habent, eò quod ambiguum qualia fuerint, & ad quid docendum facta . Et tu sermone parum constanti, nunc fateris nunc negas circa Eucharistiam Dæmones ludificare homines . Vnde certus es diabolo nullam in Eucharistia fuisse decipiendi licentiam ? Nulla' ne licentia erat simplicitati plebis illudere ? id quod Marcus Magus, & multi alij fecere . Experimur hodie Diabolum nusquam magis insanire, quam si nefandus cœnæ abusus abrogari attentetur. Multa hinc inde calumniaris, quæ non est necessarium refellere : certum quod nec illa coniectura tam leuicula, ut à nugis tuis sic exhibili mereatur . Neque enim impium & absurdum fuerit uidere, quem in rebus mirabilibus ordinem Deus seruet.

IAM QVIS NON VIDET quam superciliosè dicas, Noli mihi Baptismum cum Dominico corpore & sanguine conferre ? Quid hoc est dicere, Bilibalde ? Non licebit nobis Sacraenta cum Sacramentis conferre: nonne hoc fecerunt prisci patres, Augustinus & Chrysostomus? cuius tu ex Homilia.83 sententiā à me citatam, senex iuueniliter, senator inciviliter, eloquens imperite obtorques . Nam quum dicit nihil sensibile sub

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA  
rebus sensibilibus nobis traditum, omnia uero quæ tra-  
didit, insensibilia sunt, turcando glossemate aliquas &  
emasculas uiriliter dictum. An' non omne corpus est sensi-  
bile quod hominis corpus? & si quando non sentitur, id  
fit ne nostra ledatur infirmitas. Sed alibi hæc tractata  
sunt. Redeo ad Sacramentorum collationem, unde illo-  
rum ratio rectius cognoscetur. Non consero ceremoniam  
corpori & sanguini Christi, sed ceremoniam ceremo-  
nie, & sacramentum sacramento. Neque usq; adeò mul-  
tum distat inter lauacrum & cænam, eò q; rite abluti sa-  
cro lauacro, sanguinis Christi participes sunt: & hoc  
unum esse quod discriminet: loti, minorem: cænae socij  
maiores Christi cognitionem suscepérunt: illi accedūt,  
hi accessere. Dabis itaq; & hanc conjecturam non tam  
reiectaneam, & permittes signa comparare cum signis,  
nisi & hoc obstrepiturus es: Noli ea quæ ad rem attinet,  
loqui: noli nos erudire: noli, obturantibus aures, sana di-  
cere, ut sciam authoritati tua (ne quid aliud dicam mo-  
lestius)cedendum, & fores mihi præclusas agendi cau-  
sam incam.

NON possum te non admonere, & tue lepidissime  
comparationis, qua confers passionem & fructus eius,  
mundumq; ac perpetuos eius prouentus cum cæna Domi-  
nica, in qua toties redit Christus. Nolumus & nos laten-  
tia manifestis, & spiritualia corporalibus cōferri. Est' ne  
idem fructus passionis cum passione ipsa, sicut tibi idem  
substantialiter

IOANN. OECOLA M.P. RESPONSI.

substantialiter corpus, quod in utero uirginis uel in crux  
ce, & quod in pane? Iam mundus quotannis reuirescit  
ad imperium Dei: & quod sit, fieri apparet, neque pro-  
uentus illos miramur. Vel quis dicit miracula, ubi nullus  
naturæ mutatur ordo? Non uidemus hæc quotannis? Mi-  
ra est in illis potentia Dei: res autem quia usitatae sunt,  
& naturæ limitem non egrediuntur, pro miraculis non  
habentur. Quid igitur tam dissimilia coniungiss?

DENIQUE q. ego de abusu Eucharistie, quam-  
uis magis per digressionem quam per argumentationem  
dicere maluerim, attamen & ea, quæ illinc sumi potest  
ratio, fortior est, quam omnes quæstu affers. Sic autem dicens:  
De adoratiōe uero ita sentio, Si Christus Dei benedictus &  
filius, quum in terris esset, recte adorari poterat, haud &  
vidco quir nō ei ille idē honor sub panis & uini specie &  
latenti exhibeat, etiam si sacramentū hoc non ad ado- &  
randi usum sit institutum. Nam nec Christus ob adoratio- &  
nem in terram descendit, sed ut humanum genus per pas- &  
sionem redimeret: nihilominus tamen saepius illum ado- &  
ratum fuisse legimus. Quum igitur sub pane & uino ca- &  
ro & sanguis Christi contineatur, diuinitasq; humanita- &  
ti sit coniuncta, ac scriptum sit, Dominum Deum tuum &  
adorabis, nemo nō, nisi diuersæ sententiæ, Eucharistiā etiā &  
latrīe, ut Sophista loquuntur, ueneratione adorabit. Si &  
tua cōstaret opinio Bilibalde, pedibus manibusq; in tuam  
de adoratione sententiam accederem. Verum ex ea se-

## AD BILLIBALD. DE EUCHARIT SIA

queretur, quod Christus hic & illic in penetralibus & motibus adorādus proponeretur: ab alienacē mūrū; à uero Dei cultu, non adoraturi in spiritu & ueritate: quod ut ficeremus, iuit ad patrem, ut quum patre æqualem & ad dexteram sedētem adoraremus. Ecce hinc tua opinio periclitatur (coniecturæ autem per me datae, robur sumunt) nempe, quod Eucharistiam olim domī esitarūt, quod pueris in manus eam tradiderunt, quod infantulos communicarunt: que omnia citra adorationem uiri profecto longe maiore spiritu prædicti, quam nostra secula homines ferunt, fieri permiserunt. Plausta coniunctio rum, que hic in uechis, prætero: innocentiam meam scit Dominus.

## DE PARABOLIS NON FRVSTRA factam mentionem.



XIBILOR à te, quasi balsamum lenti miscēs, quia de parabolis uberiorius loqui cœpi, quum nihil dici potuisset ad rem magis accedens. Quid enim aliud agit in rebus instituens Sacra menta, quam uerbis docens parabolam. De lotione quoque ostendam quantum ea proposito conducat. Nam sicut Christus rem insolitam agit, pedes lauans discipulorum, & deinde facti rationem explicat mutuum ministrum, & humile charitatis docens obsequiū: ita & inueniens panem accipit, frangit, & distribuit, deindeq; mysterium

IOAN. OECOLAMPAD. RESPONSIO.

sterium exponit, docens corpus suum frangendū pro nostra uiuificatione, tāquam spiritualem cibum, quo anima reficiatur. Que proprius ad scopum attingūt quām illa, sed tibi uilesctūt, & aliena ab instituto habētur. Sed quid faciam? toto libro t. m importunus es, omniaq; in pessimam partem interpretaris. Prorsus pacifico animo confessionem de Eucharistia dicebam, & tu inucheris, quasi lateat quiddam ueneni Arriani: quod miror te loqui au-  
sum, quum apertissime mox quid sentiā, manifestem, & occultē nihil, nullamq; cerussam admisceam. Hoc Arrius non agebat. Iterum quum tropum nō temere aggredior,  
& ad scripturarum perscrutationem, precumq; subsidia cohortor, citra meam ostentationem, molestius fers, quām si alius quispiā blasphemasset. Sexcenti pseudoprophetæ, etiam uiciniores tibi, aduersus Christum & Ecclesiam eius ora sua aperuerunt, & illis nunquam tam austerus fuisti atq; mihi, in re minime impia. Insuper dum scribo,  
nō turbare nos debet quod Christi uerba in aliam senten-  
tiam à plerisq; rapiantur: addis, imò perturbari debent  
fideles, quum penitus in diuersam uertantur sententiā.  
Nunquid autem mi Bilibalde, male loquutus sum? Nun-  
quam' ne euēnit, ut ad diuersa respicientes, tristiciæ, lœ-  
ticiaeq; occasionem inueniamus? Certe non rarum est.  
Vir enim pius gaudet Deum omnia recte agere, & ite-  
rum dolet tantis Dei bonis impios non emendari. AE-  
quum autem fuerit, lectorum expedere edicta mea

**AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA**

iuxta sermonem, non iuxta id, quod cuiquam sua igna-  
ua potest accidere. Nolim nos perturbari, quasi spi-  
ritus san. negligens fuerit in scripturis: cuius nimurum  
dignitati nihil ideo decadat, quod dicam spiritum. po-  
tuisse moderari uerba, ne alicubi seducendi ansam quis  
arripiat. Non autem nolim nos non dolere ignauorum ui-  
cem, aut si tam maleuolus sum, quid scribo? quid perse-  
quitionem patior? Par candore colligis, quasi ego spi-  
ritum. seductorem dixerim, & non magis nostram igna-  
uiam taxem.

**VERBA CHRISTI PLANA FVISSE**  
Apostolis.

**V**LTA congeris, ut uerba Christi ad sen-  
sum tuum esse manifesta affimes. At ego  
apostolis non fuisse obscura libenter fateor:  
nobis autem oscitantibus, & tropum tan-  
quam uiperam fugientibus, haud mirum si obscuriora  
sint. Non sunt omnes sermones ignoti, qui tropos admit-  
tunt. Hic uero multa sunt, que pulcherrime manuducunt,  
& commemorationem testamenti non sinunt occultam:  
non dico tunc in cena testamentum perfectum, sed com-  
mendatu. Sermonem Christi explanant, p̄ remissio agni  
paschalis, de quo audiebant, quod esset phasē Domini,  
praeceptum cōmemorandi mortis, hoc est fractionis sue,  
& manifesta absentiae corporis prædictio, è quibus lon-  
ge aliud colligitur, quam tuis uidetur. Profecto nunquā  
fuisse

IOAN. OECOLAMP. RESPONSIO.

siuissent nobis uerba hæc tam obscurata, nisi præstigiarū  
nebulas inueteratus error inuexisset. Adeò uerum est,  
quod Hieronymus inquit: *Quis doctus pariter ac indo-  
ctus, quem in manus uolumen assumpserit, & à saliuā  
quam semel imbibit, uiderit discrepare quod lectuat, nō  
statim crumpat in uocem?* Id & tibi nunc accidit, tuo  
sensu nimium tribuenti.

CANONEM, Q VI TROPIS EX-  
ponendis seruit, à me religiose ob-  
seruatum.

  
E ALIQ VID temere affirmarem in  
hac causa, diligenter circumspexi quidnam  
sentiendum: & profecto si in uno uel altero  
michi satisfactum non fuisset, ne γε quidem  
super hac re proloquuturus eram. Proinde nō potuisssem  
me magis astringere ueritati, quam quod tali sanctissimo  
caroni me addixi, in quo non est quod desyderes: nam  
quod iubes addi, ne sit tropus absurdus, per se canon  
complectitur. Tu tropum partiris in Metaphoram, alle-  
goriam, & enigma, & uis ut nominem qualis tropus sit,  
num metaphora, uel allegoria, uel enigma. Aenigma &  
allegoriam ut ridicula explodis, dein & metaphore nul-  
lum locum finis. At nimium seuerus es philomastix. AE-  
nigma in Sacramentis nūquam deest. Est enim sacramen-  
tarij symboli institutor mutus enigmatistes, quantum ad

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

signum attinet, sicut pictor Silius Poëta. Enigma et rerum est, quod licet postea manifestis uerbis explicatur, sitamen res ipsæ non animaduertantur, fieri potest, abundantium culpa obscurari uerba, quibus ænigma aperiatur. Vnde non dum initiatus, dum uel non consyderat ritum cœnæ, et audit, Hoc est corpus Christi, uel consyderat ritum, et non audit uerba, quid agatur ignorat. Allegorie uero nomen scis apud Græcos generale, sicut tropi nomine: unde Allegoria etiam ænigma dicitur. Proinde Augustinus, inquit, omnem Allegoriam ænigma, et Allegoriam esse tropum, ubi aliud ex alio intelligitur. Et dum Paulus Allegoriam nominat, non in uerbis sed in facto reperit: ut dum ex duobus filijs Abraham, quod non dictum sed factum fuit, duo testamenta intelligenda monstrauit, ubi Allegoria posset specialiter ænigma dici. Et ferè inter Allegoriam et ænigma hoc tantum interest, quod inter obscurum et minus obscurum. Sanè Christus quia Sacra menta et ritum condere coepit, palam est et non nihil ænigmatisce egit, quod tamen postea discere uolentibus, satis declarauit. In uerbis autem Christi expositio est, quæ peculiariter metaphoræ capax: ita, ut et id quod exponit, et quod exponitur, translatione agnoscat. Sic panis transfertur ad animatum propter similitudinem, ut dicatur corpus, uel etiam ipse Christus Iohannis sexto, Ego sum panis uiuus: et corpus transferetur ad inanimatum, ut dicatur panis: non quod ueritati  
rei

IOAN. OECOLAMPAD. R.ESPONSI.

rei, que aliquid ostendit, uel qua ostenditur, decedat quippan in sua natura, sed ob similitudinem res significans & significata mutuum nomina communicant. Itaque discimus, corpus appellatione panis cum pane similitudinem habere, & panem appellatione corporis cum corpore. Neque est adulterini, uel absurdii quippan. Idem enim fit in ceremoniarum ac symbolorum expositione, quod in Parabolarum & Allegoriarum enarratione. Sic & Paulus interpretans Allegorias Exodi, dicit: Petra erat Christus, ubi metaphorice Petra Christus, & Christus Petra, satis ostendit quid & in hoc loco liceat, de quo loco ad Suenos Ecclesiastas. Neque est ut ad Lutherum remittas. Sic dum dicitur: Semen est uerbum Dei, ibi metaphoricum uerbum est semen, & semen metaphoricum est uerbū. Quod si ritus seminandi sicut frangendi panem à Christo traditus esset, non inepte quis uerbum Dei diceret semen, iuxta Augustini regulam: Figuras rerum, uocabula rerum sortiri. Hæc est hodie nostra Ecclesiæ consuetudo, ut fidelissima interpretatione Christi confidentes, ad maiorem Sacramenti reverentia, panem uocemus corpus Domini. At longe alia ratio est, dum dicitur, Ego sum Dominus Deus tuus, uel: Hic est dilectus filius, uel: Pater & ego unum sumus, uel: Verbum caro factum est: notum est enim nullam ceteram rationem uel Parabolam explicari, sed hystoriam proponi. Immerito igitur per te comparatione Ari,

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

Macedonij & AEbionitarum grauor: cum illis enim nihil mihi commune, qui dogmata fidei nugacitatibus ad alterinis conuellunt. Mihi curæ est, ut ritus fideliter exposentur. Id quum tu, tuique uidere non uultis, omni uerbo- rum intemperie me inuaditis, quasi me & libidini indul- gens, semel omnem scripturam dilacerem. Facit autem ueritas, quæ me tuetur, ne te curem: et stat adhuc tropus, nisi in ceremoniarum expositionibus tropus locum non inueniat.

I AM quorsum attinet, allegorias nihil probare? Et quis hoc nunc agit; ostende quod allegoriam cum alle- goria conferre, & ceremonias ceremonijs collatis illu- strare, spiritualiaque spiritualibus componere non licet.

IN SUPER, quid est, quod multi tropis abusi sunt; num propterea tropis nullius erit locus? non hoc dices scio: quare igitur in unum uerba sic multiplicasse?

ET QVIS est ille candor tuus, quod displicet tibi cœnire me cum Zuinglio, qui EST per significat ex- ponit: ubi ego dico figuram corporis, et utrumque pro- bare, & proinde uideor tibi vacillare. Introspicerem clarius, & uidebis me confirmari. Quare de uerbis con- tra preceptum Apostoli contendem? Nihil aliud est di- cere significare corpus, et esse figuram corporis. Itaque non solum placet significat, & est figura corporis, sed etiam representat, uel est sacramentum, uel exemplar, uel antitypon, uel si quid aliud tale. Iam quamvis è uera- bō

IOANN. OECOLAMP. RESPONSIO.

bis paruis multe nonnūquam surgant quæstiones, addam etiam hæreses, attamen ubi nulla in uerbis dissensio, & cùdem redditur sententia, quare litigarem ? num propter ea mihi contradico ? Absit ut rixer cum quopiam, non tantum cum tam insignitæ eruditionis uiro, sed etiam cù eo qui me inferior, dummodo non pugnet fide. Porrò ut ab illo optimo uiro me parum postea se iungis, quasi cum eo dißideam, & eius rationes non probem, ita cum pef- simo stultissimoq; Marcione connumerar: nihil enim grauius restabat quod in me diceres, quam quod persuaderas mundo, me negare uere incarnatum Christum, si panē, figurā corporis dicam, perinde ac sequatur ex mea in- terpretatione. At quis oro unquam sic collegit; Hæderæ est signum uini quod in uase, ergo uinum quod in uase, est signum? Non dico corpus Christi uerum, esse figuram corporis, sed panem dico esse corporis figurā: & cor- pus nonnunquam uulgari appellatione, pro ipso pane, quatenus figuram corporis gerit, ab Ecclesiasticis patris bus accipi. Qua ratione nullius Doctoris mentem inuer- ti, nullius librum deprauavi: sed pie quod pie dictum in- terpretatus sum. Neque tu unum locum adhuc demon- strasti, neque demonstrabis cui facta sit iniuria. Ita autē fieri necesse, ut ubi minimum iuris, ibi plurimum conui- torum.

IN EUCHARISTIA NON ESSE  
carnalem mandationem.

## AD BILLIBALD. DE EUCHARITSIA

V AERIS quid opus pane & uino, si me=  
moria & gratiarum actione mortis Christi  
manducatio fiat? Nunquid sine comedione  
aut sorbitione memoria mortis peragi po=  
test? & addis: Certe non ita tibi desipuit æterna ueritas,  
ut nobis ritum quendam tam solicite, & tam ingenti de=  
syderio traderet, qui etiā sine pane & uino posset ad=  
impleri, nisi forsitan Christum ex bibulorum illorum nu=  
mero suisse censes, qui nunquam sitim exaturari pos=  
sunt, nisi alios præbibedo, ad pocillationes invitauerint.  
Crasse satis mihi Billibalde, ne dicam blasphemie. Proferre  
sopportebat ex scripturis aliam manducationem, præter  
eam, de qua dixi, & non damnare absque scripturis, cū  
tanta Christi traductione. Paulus dicit manducari pa=  
nem, & bibi è poculo. Ioannes in capite sexto, quò ca=  
ro cibus, & sanguis potus sint, Qui credit, inquit, &  
qui uenit ad me, & quem pater traxerit, is manducat.  
Tu uero citans mea dicta, omittis quod dico, Fideliter  
seruantes memoriam. Non enim magnificacio memoriam  
absque fide. Porro ceremonias Christus huic manduca=  
tioni rite, & magnam ob causam adiecit, ut quos per  
Baptismum in unam collegerat Ecclesiam, per mandu=  
cationem & fractionem panis, admonitos beneficiorum  
suorum, in una eademq; cōseruaret, pacifice & suauiter  
cōiuientes, tanquam eiusdem corporis mystici membra,  
sicut Paulus pulchre deducit. Vides utilitatem canae?

Quod

IOANN. OECOLAM. RESPONSIO.

Quod si ita conueniatur, ut unus alterum contemnat,  
desitq; charitas quæ in Christum, non erit dominicam cæ  
nam manducare: è qua nec Iudas explosus, in qua disci=   
pulorum pedes loti, in qua tot & tanta de charitate di=   
cta. Fidelis itaque memoria & gratiarum actio Deo nos  
commendant, ceremonialis autem protestatio in proxi=   
mi utilitatem cedit, ut ea ille nos pura membra Christi,  
& fratres cognoscens, Deum nobiscum laudet, simulq;  
gratias agat. Quod si nihil tibi uidetur charitas, cuius  
panis & uinum symbola sunt, & sine qua consistere  
nequit Ecclesia, superuacuum cense ritum illum. Nam  
hec est tota ratio canæ. An' autem hæc sententia non  
plus ueritatis habeat, quam silex sanguinis, prouoco  
ad omnes Christianos spiritualiter iudicare ualentes.  
Quomodo adulterium sensum profero, ubi fidei cha=   
ritatisq; ne tantillum quidem detrimentis Porro, tua in=   
terpretatio non absolvit te, quin σαρκοφαγος dici pos=   
sis, quandoquidem illud Ioannis. 6. Nisi ederitis carnem  
filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebis  
tis uitam in uobis, sic exponere audes, ut Augustinus  
libro tertio de Doctrina Christiana ostendit quod  
uideatur flagitium imperare Christus, si  
sic interpretetur. Tu igitur ui=   
deris quam probe tua  
defen=   
das.

AD BILLIB. PYR. DE EUCHARISTIA  
PRAEDICABILIVM PRAEDICAMENTO  
rumq; rationem in Sacramentis explicandis  
non esse absurdum.



ORRO rem iuxta prædicabilium prædicamentorumq; ordinem expendens, potentiam Dei nondum in ordinem redigo, nec manū eius claudio, ut penitus de fide nostra conclamatum sit, iuxta tuam tragœdiā. Nescimus adhuc aliquid in ordine rerum esse mutatum: proinde regulis illis, quibus res nature explicantur, nondum renuntiatum est: proba scripturis inuersum rerum ordinem, tantaq; miracula commendari à scripturis. Nam non propter a minus omnipotens erit Deus, etiam si non faciat simul omnia contradictoria esse uera: neq; negabitur Deus omnipotens, si non faciat mendacium esse ueritatem. Deus omnipotens erit, etiam si panis non sit substantia corpus. Libenter agnosco quam mihi obijcis ingenij mei paruitatem, etiam in rebus que multis modis sacramentis inferiores: at hīc me religio tenet ne praeue doceam. Analogia fidei multò aliter pronunciat, quam tu atque tui contenditis. Nullus olim de impanata carne fuit artifulus fidei, quo mentes ultra quam par est sensu humilia retur. Quod si hodie uel cras Rhoma uel Lutetia inceptū quendam articulum finixerit, tuo arguento putas ne nō credituri conuincantur, si clamarint Sophistæ: Deo sunt omnia possibilia, igitur bene pronunciatiū est. Adeſt uerbum

IOANN. OECOLAMP. RESPONSIO.

bum Dei, quod ad literam exponas, necessarium erit: nul-  
la curanda inconuenientia, nihil facienda quæ p̄cedunt  
uel sequuntur. Sicut Papistæ in sua transubstantiatione  
adhuc errant, & idem uerbū, Hoc est corpus meum, pro-  
se trahunt, quod uos ad uestram sententiam firmandam.  
Contempserim' ne igitur uerbum crucis, si nō illis assen-  
sero? Quin uestra somnia semel non curauerim: Video  
enim, quando uobis desunt responsiones, uos ad maledi-  
cta, contumelias, conuictiāq; conuerti: quæ nimurum in-  
felicissima persuadendi via. Paucis, Tunc Deus faciet re-  
latuum esse correlatum, & unam rem substantialiter  
esse aliam, & nullam rationem prædicabilis patietur,  
quum idem simul erit & nō erit. Nihil talium uel in crea-  
tione mundi, uel in resurrectione, uel incarnatione men-  
tes infestet, suauiter manuducente Analogia fidei. Sanè  
mundi creatio multis modis mihi probabilior quam eius  
perpetuitas: & quicquid habet fides catholica, suo con-  
trario certius animis infidet: hic uero non idē fit. Nō op-  
posuisse autem me, neq; opponerem, siquidem hoc dog-  
ma scirem esse Ecclesiasticum, & non pugnare scriptu-  
ras: at dum omnia consonant, obſtitq; ordo naturæ,  
absque utilitate nostra, & gloria Christi: ex uerbum  
quod profertis, aliam, quæ uera est, recipit interpreta-  
tionem, nescio uestræ barbarie locum dare cum tanto  
Ecclesiae Christi offendiculo. Diluite, ut iustum est, quod  
objicitur, & scripturis quæ dicitis, cōfirmate: & si tunc

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA  
me minus audientem cognoveritis, contumacem & pe-  
simum uocate mortalium.

NEQUE multò modestius procedis, quum dico,  
potuisse Christum pluribus uerbis dixisse: Panis factus  
est corpus meum, uel in illo pane est corpus meum, sub-  
stantia & dicis: Profecto, si tu illi cæna interfuisse, for-  
sitam Christum instruere potuisses quo sermonis genere  
utendum fuisset, præcipue si post cænam obtemulentiam  
balbutire uidisses. Verum si ijsdem etiam uerbis, quæ tu  
præscribis, fuisset loquitus, illa cum substantia tua spe-  
cie ac differētia, alijsq; Sophistarum nugis subuertissem,  
& eodem modo quo nunc, impossibilia dixisses. & cat.  
Quò tandem sermo ille tuus, mi Bilibalde: quare non & in  
tuos talia uerba retorqueri pateris, qui nobis obijcunt  
Christum potuisse in cæna dicere: Hoc significat corpus  
meum, & dixerit, Hoc est corpus meum? Nunc quum  
simile argumentum in uos uerto, Christum potuisse dice-  
re, Panis factus est corpus meum, panis substancialiter  
est corpus meum, & non dixisse, sed tantum dixisse, Hoc  
est corpus meum, ita ludis, quasi ipse inter pocula bene  
potus scripsisses. Et quod iterum mihi obijcis nugas So-  
phisticas, à quibus ego me satis alienum scio, iterum re-  
spondeo, non me repudiare pulchras naturæ uias, Deo  
seruientes in articulis fidei. Non ita temere illas Deus ua-  
riat. Ad magnam hominis utilitatē, & maximis ex causis  
tata rerū fit mutatio, ut gloria patris inde cognoscatur.

COM

IOANN. OECOLAMP. RESPONSIO.

COMPARATIONEM ferri & ignis cum corpore impanato, non esse aptam: tuis obijcito, ego illam non probo.

Q VOD INCONVENIENTIA PER ME  
allata, ab aduersarijs non diluantur, præser  
tim quod unū corpus in  
multis locis.

**T**AMET SI lubens à conuitijs, quæ tu sine fine cumulas, abstineam, neq; in ullum de baccher, sed ostendam quid periculi possit error afferre: tu uero adeò exestuas, ut quic Papistarum transubstantiatio à me taxetur, quam illi, ut inconuenientia quæ refiero, & uestra opinio admittit, uitet, & in Scylla pericitetur, tu mauis mihi salutis spem apostolico dicto negare (uir enim grauis haberi uis, & qui iudicio ualeas, nō frustra timeas) quam aliorum & uestros errores coniungi. Et dū abstergere nitor insanæ probrum, quia in operibus Dei, ubi nulla cogit necessitas (quid.n.ad me, quod perpetuò clamitatis uos niti uerbo Dei, quum pugnet uobiscū spiritus) ubi nulla Dei narratur gloria, ubi nulla nostra spectatur utilitas, quæ mea est fides, nolim temere afferere naturæ ordinē uniuersum in pane mutari, ueritatemq; ob oculos lucentem, uerti in mendacium: ac dico rem, lectoris cœsuræ cōmittens. Quis nunc infanda loquitur; num ego uel rapsodus, cōtra quæ

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

principius sermo? Tu non contentus es uocare me insanum, dicentem unum corpus non esse in multis locis, neque multa corpora in uno loco, neque corpus in atomo. Quur non sic debaccharis in Lombardum & papistas, qui nimurum haec & multa alia uitare conati sunt? Non contentus es inquam me uocare insanum, nisi addas me malo, impio, & uertiginis spiritu impelli, cum multis aliis maledictis. Et deinde non patrocinatur mihi, quod communem hostem Transubstantiatorem persequor, quod tamen apud Barbaros Palestinos Daudem iunisset: sed uacillare tibi, & Protheus quidam esse, ac meticulosus uideor, quum potentissimas duas fictiones, quae unquam fuerunt, non exhorresco: sed per gratiam Christi, abiectione respectu, ueritatem derelinquere nolo. Illa mea inconstantia est, ille metus. Utinam tam potens esses doctrina, quam multiloquio: tam suavis charitate, quam seuis maledictione, parcus haec sperarem a te scribi. Oro ego lectorum aequum, conferat libros, iudicet, pronunciet de modestiae sobrietatisq; spiritu in utroque. Verum ad dilutiones inconuenientium uenio, & quod prouinciam tibi imparem, aggressus sis, ostendo.

PRINCIPIO ut probes corpus Christi esse in multis locis, maxime glorificatum, affers illud Ioannis: Ne mo ascendit in cœlum, nisi qui descenderit filius hominis qui est in cœlis. & addis: Nec est ut Sophismatibus tuis solitis dictū hoc eludere queas, tanquam Christus deitate sua

IO ANN. OECOLAMPA. RESPONSIO.

Sua in cœlis esset, quum de filio hominis uerba flant. &c. &c.  
Deprehensus es, uir argutissime, sacra impure tractare.  
Hæc cine strenuitas tua in uerbis Christi, quæ semel sona-  
re incipis? Ita diluis quod obiectum; ita me Pighardos  
nescio quos doces? Sophisma tibi uidetur dictum Ioannis  
sic interpretari? Ergo tibi Sophistæ Augustinus & Ca-  
tholici omnes, noui ac ueteres. Apollinarius autem ac  
Valentinus, nō extremi inter Hæreticos, de corpore Chri-  
sti bene censuerunt: Ergo Maria nō fuit uera mater Chri-  
sti? sic enim arguemus, Corpus illud in cœlo fuisse, & de  
cœlo descendisse. Evidem non te uocarim hæreticum,  
neque unquam temere iudicauis: sed tu hæreticorum con-  
demnatisimis expositionibus ad defendendum errorem  
tuum uteris. Seruit autem tibi & illud Vergilianum: Io-  
nis omnia plena. Quid sibi uolunt miseræ illæ offuties?  
De corpore disputatio est, & tu de diuinitate arguis.  
Quam uellem Augustinum in libro ad Dardanum con-  
suluisse, dicentem: Cauendū est, ne ita diuinitatē astrua-  
mus hominis, ne ueritatem corporis amittamus. Quo ni-  
mirum ostendit, amitti ueritatem corporis, si id in mul-  
tis locis simul esse dicamus. Proprium enim corpori est,  
in suo loco esse, & partem eius minorem ipsi toto. Iuxta  
sue deitatis præsentiam dicit: Cœlum ac terram ego im-  
plico: uerum iuxta carnem nunquam simul in duobis lo-  
cis fuisse legitur. Age iterum tibi delirus uidear. Corpo-  
ra ut tempore, ita & loco definita sunt. Probet mihi quis,

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

corpus, quod hodie esse cœpit, ante millia secula, antea quam esse inciperet, fuisse, et ita diuersa tempora simul complecti: ita absurdum, ut quod unius præsentis loci capax, in innumera absentia quoque loca se diffundat. Ecce hoc de angelis tam puris creaturis asseruisse, temerarium, et qui sit, ut absque temeritate tribuatur hoc corporibus? At tu perge clamando: Nuda uerba Domini, Nisi qui descenderit, filius hominis, qui erat in coe-  
lis, et ad mouentibus aures nega, videq; quan-  
tum proficias, quantumq; ab  
surda decliz  
nes.

NONDVM DILVTVM ESSE SEQVI  
multos fore Christus.

**V**LTA inconuenientia, que ego ex capite meo minime finxi (sicut tu posito pudore, mihi ascribis) urgebant, et urgent, ut tropum in uerbis cæna agnoscerem. Hoc autem quod nunc profero, non à Pighardis, sed à Chrysostomo subsequutur cognoui. Dicit enim: Si multa es sent Sacrificia, multi futuri essent et Christi. Hæc enim inter alia eius sunt uerba. Proinde unum est hoc Sacrificium, alioqui in multis locis offertur, multi sunt Christi nequamquam, sed unus. In hunc uersum ego respexi, tū autem, ut eludas lectorum, alia obiter ad iuuandos tardiores

IOANN. OECOLAMPA. RESPONSIO.

diores adnotata, inuidiosissime rapis, quasi impedimenta  
ueritatis cognoscendae mutatione circumstantiarū. Quā-  
les sane expositiones, neq; ab hoste expectassent omnium  
infensissimo. Dic tu Bilibalde uiam quandā, qua possint  
imaginari multi Christi, unde occasionem sumere potue-  
rit Chrysostomus cogitandi multos Christos. Evidem nō  
aliter video, quām quod presentia corporalis multos da-  
tura sit Christos, iuxta opinionem uestrā. Etenim si omnē  
carnem filiorum Israēl una ac eadem anima, eademq;  
uerbi persona assumpſissent, sicut unicum corpus, nō  
ne tot essent Christi, quot separata corpora assumpſiſſen-  
tent. Iam quum tot panes assumpſerit, nō solum corpus  
illud diuinum, sed cum corpore anima & uerbum, con-  
ſectaneum erit monstrabilem in singulis panibus Chri-  
ſum, qui non unus erit, sicut nec unus panis. Nam si ani-  
ma uel uerbum personam multiplicant, si uarijs se cor-  
poribus iungat, quanto magis, si cum corpore uarijs pa-  
nibus substantiue se uniant, personas multiplicabūt? Vul-  
tis. n. ut in Sacrificio, hoc est, recordatione aſſit Christus  
substantialiter panis. Porro propter illam maximā sub-  
ſtantialē unionem futurum, ut ubi multi panes, ibi mul-  
ti corpora, ibi multi etiā Christi. Igitur tu, si exacte uo-  
luisſes explanare Chrysostomum, ostendere etiam debe-  
bebas, quēnam modū ille poterat imaginari, ut sciremus  
quare nā sequeretur multos fore Christos: nā unum Chri-  
ſum multos inuisibiles Christos imaginatio non recipit.

## AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

Insuper dum calumniaris me circumstantias mutare,  
tuam mihi scabiem affricare niteris. Non est enim negle  
cta circumstantia, quid, à Chrysostomo, quandoquidem  
dicit: Sacrificium est recordatio sacrificij, & totum est  
quod ibi sit. At si quereres per circumstantiam propter  
quid: Quare fiat recordatio, responderetur utiq; ob gra  
tiarum actionem & charitatis protestationem. Ecce non  
dicit causa Sacrificij exemplar est, sed sacrificium exem  
plar est. Hoc autem, subdit, quod nos facimus, in com  
memorationem quidē eius fit quod factum est. Hoc enim  
facite, inquit, in commemorationem mei. Vos dicitis, illa  
consecratione fieri panem corpus: ille autem nihil nouit  
præter commemorationem: que licet tibi uideatur res ri  
dicula. Sed si ita libet locari de Sacramentis, que nobis  
Christus reliquit, nō uideo quām religiose, uel in ipsum  
uel in eius Ecclesiam affectus sis. Christus illa signa in  
stituit: à Christo ea recepit Ecclesia pro Sacramentis, ut  
nomēclatura testatur, etiam si tibi nomen signi minus gra  
tum sit. Dicis enim, quod si contendam esse signa, audaz  
er te afferere, nationem malam & peruersam signa  
querere, fideles nequaquam. Sic loqui oportet eos, qui  
signorum distinctionem non recipiunt. Talia ingenia ad  
tractandas sacras literas sunt idonea. Soli fideles hac  
signa pie frequentans, & tu audacter pronuncias natio  
nem peruersam signa requirere, quum de alijs signis  
nos, de alijs Christus istic loci loquatur.

NON

IOAN. OECOLAMPAD. RESPONSO.  
NON DILVI AB ADVERSARIIS IDEM.  
*non esse figuram & figuratum.*

  
ST. ALIVD inconueniens, etiam ipsum  
multò absurdissimum, à uobis minime dilu-  
tum. Ecclesiæ consensu panis Dominicus sig-  
num est sacram, exemplar, figura, & an-  
titypon, & proinde non erit signatum. Quod argumen-  
tum quicmadmodum tractatum est, nullis machinis per-  
fringes. Frustra enim sic diluis, quod Basilius dixit anti-  
typon, uerum erit, dummodo recte accipiatur: nō quod  
corpus Christi diuersum quid sit ab eo corpore, quod sub  
panis specie continetur. Esse enim unum & idem, Do-  
minus expressis uerbis confirmauit, dum ait: Hoc est cor-  
pus meum, quod pro uobis datur. Eandem Bilibalde can-  
tilenam semper occinis. Fuerit' ne hoc patrum germana-  
sensa referre, Eucharistia antitypon est, uel Sacramentū,  
si nihil diuersum dicat à corpore Christi? atqui propte-  
rea est exemplar, uel antitypon, quod non sit ipse typus,  
uel id quod respondet exemplari. Alioqui non erit quod  
uere dicas sacramentum: nisi improprie. Sic responderet  
etiam Sabellius Christū esse filium Dei, uerum esse, si nō  
accipias personam diuersam à patre. Cæterum pater et  
filius eadem persona esse non possunt, sic etiam signum  
diuersum est à signato. Immerito autē uerba cœnæ aptas  
tue solutioni que nō intelligis. Idem enim agis, ac si quis  
dicat Iudæis, Agnus paschalis quæ comeditis, est ille ipse,

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

quem patres vestri immolarunt in AEGypto, et sic ipse  
est antitypon: quod si non dixeritis esse illum ipsum  
agnum, neutquam erit uere antitypon, quia Dominus  
dixit: Victimam transitus Domini ipse. Quantis stipendijs  
conducendus erit nobis talis theologaster, imo tantæ au-  
thoritatis theologus, cuius interpretationem rigidam, et  
ad literam omnia exigentem, nisi osculatus fueris, diuinæ  
detraxeris potentiae, mendacemq; Deum ac miserum fe-  
ceris Christum, qui tuis sophisticis ratiunculis subiacere  
cogatur: imo mansuetum agens doctorem, orabit. Noli  
bone uir, noli Christum in ordinem redigere, sed pati-  
re, ut uerba sua uera sint. O sannas, o aculeos, o blasphemias,  
o mastigoseis. Quas compedes Christo iniicimus,  
qui nihil aliud spectamus, quam ut illi sua dignitas salua-  
siet, et nullorum somniationibus ridicula esse incipiatis.  
Sat superq; satis, quod in cruce humiliatus est, nunc glo-  
riose prædicari meruit. Hæres autem, nescio sciens uel  
ignorans: ac offenderis in nomine, Figuræ, quum hoc te  
non lateat quod dixerim esse figuram, idem, quod signi-  
ficare uel representare: tu uero ita somniculose colligis,  
perinde ac legales figuræ, quæ Christi aduentam pre-  
cedant, reducam: imo minores, quia panis noster à terra,  
manna autem à cœlo, et existeret Christus ipse minor fiz  
gura sua. Non debebant tantum uirum tales minutie mo-  
rari. Sed audi patienter: Figuræ ueteris legis habent du-  
plicem respectum. Nam uel respiciunt Christum ipsum,  
qui est

IOANN. OECOLA MP. RESPONSIO.

qui est impletio et finis legis, ac figurarum omnium: atque sic proculdubio incomparabiliter inferiores sunt figurato suo, cessaruntque uel respiciunt ceremonias nouae legis, utpote Baptismum, uel cænam Dominicam, et sic pares censendae: neque est discri men aliud, quam quod illæ præcedunt, nostræ sequuntur. Dignitas autem caru erit ex fide, illis probe utentium, interim glorie Christi nihil decedit. Quod Augustinus contra Faustum sic tra stavit: Huius sacrificij caro et sanguis ante aduentum Christi per uictimas similitudinum promittebatur, in passione Christi per ipsam ueritatem reddebat, post ascensum Christi per Sacramentum memorie celebra tum. Post tam clara uerba Augustini, dociles utique stos machari in nos minime deberent. Porro ad Tertullianu uenio, unde nomen figuræ receptum.

TERTVLLIANI SENTENTIAM CONtra Marcionem à me fideliter adductam.

 VNC EXCVTIAM et aliam mole stiam, quod sententia Tertulliani infidelem me facis interpretem: et primum te moneo ut memoriā tuorū à te ponas. Neque enim te uel alios ullo, ne dicā omni conuictiorū genere aspersi, hoc loco tātum testatus sum uestrā expositionē Marcionitarum hæresi ancillari, et eam tutari: nō aut illorū labē uos maculaui. Quid si inuitis uobis illi arma hac uestra

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

corripiens; num propterea uos eritis Marcionites? Præter charitatem est tam suspiciosum esse, multo autem magis non est christianum geminata conuictia rependere, ubi etiam iuste proscissum te cognoris. Et tu in spiritu lenitatis tue mox affirmare audes me cum Marcionitis Christo tantum phantasticū corpus attribuere, & plus Marcionitis ipsis insanire, Christoq; nec ficticium corpus relinquere. Evidem si nullum uerbum in Tertulliano faciliter exposuisset, haud meruisse sic à te traduci. Quia conscientia coram Deo, qua fronte corā hominibus non erubescere sic laceſſere; & Christi nomine christianorumq; confortio ſpoliare amicum? Hūc hūc nimirum spectat ille magni fauoris titulus, quo librum uenditas: de quo tamen nihil agis, sed ſuspicionem inculcas lectori, quasi surrexerit, uel in uicino ſit heresiarcha, uerant carnem Christi, & uerum Christi ſanguinem negans: & nunc me palam fingis, ne dicam mentiris aperte, eſſe tam, quum omnes libri, omnes sermones, atque adeò uitæ mea contrarium teſtetur. Neq; enim ſi non aſſeruerο in pane ueram carnem, confeſſim & ueram carnem negarim. Hoc me christiana docuit ecclesia, illud error eorum qui nec Christi nec ſua uerba intelligunt, tradit. Eſto autem & hæc iniuria cum alijs libi condonata, incubit nunc ut ostendam me Tertulliano minime fuisse iniquum, neq; opera & preium omnia aut illius aut tua uerba recenſere, ſufficiat ea, que proposito conducunt, non omittere. Acceptum

## IOAN. OECOLAMP. RESPONSIO.

ceptum enim, inquit, panem, & distributum discipulis,  
corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicēdo, id  
est, figura corporis mei: figura autem non fuisset, nisi  
ueritatis esset corpus. Cæterum uacua res, quod est phan-  
tasma, figuram capere non posset. Hæc ille. Tu putas,  
quod male me habet, quia dixerit: Corpus suum fecit, sed  
ne sis meo nomine sollicitus. Veritas pro me est, & pro-  
inde mihi minus hinc negotij ad me reddit, id quod mox  
accipies, modo à conuicijs abstinere queas. In hoc fraudē  
mihi imputas, quia Tertulliano dicente: Corpus suum fe-  
cit, ego exponam, fecit corpus, id est, fecit figuram cor-  
poris. Verum id non tam mihi quam authori ascribendū  
erat, qui seipsum ita exponit. Etenim si subiunxit, &  
nō præmisisset, fecit corpus suum, sicut subiunxit & po-  
steriore loco dixit, est figura corporis mei, deprehendis-  
ses me utique: nunc uero quum prius dixerit, Fecit cor-  
pus suum, & deinde exponendo subdit: Hoc est corpus  
meum, id est figura corporis mei, quia expositio sequi  
solet, liquidò ostendit quid intellexerit, per hoc quod  
corpus suum fecit. Vide an non ipse iterum deprehensus  
sis, & immodicum carpendi studium te seducat? Porro  
quia saliuatua tibi dulcis est, in sequentibus quoque nihil  
feliciter assequeris. Contendis enim figuram non accipi  
pro signo, sed pro forma & specie panis: ita ut quemad  
modum figura corporis carnaliter in pane cōlinetur, ita  
& figura corporis Christi non nisi caro & sanguis Chri-

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

st̄ existat. Hoc est lynceis oculis Tertullianum introspicere. Vnde illa interpretandi licentia? Quid licentiam hanc sequetur, si sic docere mundus tecum perget? Quem scriptorem suarum lucubrationum non pœniteret? Quae ueritas non mutaretur in mendacium? Tertullianus inquit, est figura corporis, tu exponis est forma uel species panis: et plura tua uerba paucis dicam, est species corporis impanati. Vnde facies uerisimile hoc commentum? Quomodo quadrabit contra Marcionem? Caro enim sitalis in pane, erit invulnerabilis, impassibilis, et prorsus talis qualis optat Marcion: Et quomodo ea nobis illam vulnerabilem, passibilemque, ac fragilē representabit? aut manebit illa caro Christi in cruce sic inoffensa, ut illa que in pane eritque uoti compos Marcion. Si exponis, Hoc, id est, panis est species panis: uel (ne uidar te uelle illaqueare uerbis) est species carnis impanatae, à qua et uisibilis carnis ueritas probatur, quomodo substantiue expones, panis est forma, uel species? quomodo coniunges quod apud Lucam sequitur, quod pro uobis traditur; nunquid tradita illa species? Velle hoc loco te diffusius rem enarrasse: ita n. inuoluſ sermonem, ut intelligi nequeas quomodo pugnes contra Marcionem. Et data opera impingis in uana uerborum lenocinia, que sine causa mihi tribuis.

QVAERIS QVO PACTO ex parte <sup>so-</sup>  
<sup>lo</sup>

IOANN. OECOLAMP. RESPONSIO.

lo probare potuisset Christum habuisse uerum corpus,  
quum ex non carne nequaquam caro probari posset.  
Quale enim argumentum hoc esset, Caro Christi sub  
figura, & non uere sub pane latet, ergo corpus Christi  
ex carne quoque constat? Verum non ita delirat tan-  
tus uir, sed ex pane, qui iam uerum corpus Christi fa-  
ctum comprobat Christum etiam uerum corpus habui-  
se: nam nisi ita fuisset, nec panis corpus eius fuisset. Mi-  
Bilibalde: Non delirat tantus uir, sed tu delirantem fin-  
gis expositionibus tuis uere adulterinis, que te rerum  
Theologicarum expertem comprobant. Que esset oro-  
illa probatio, idem per id ipsum, idq; obscurius proba-  
re contra tam obstinatum hereticum? Qui non recipie-  
bat uerum Christi corpus in cruce, quomodo persuade-  
retur per minus uerisimile, per uerum corpus in pane?  
At ut questioni tuae respondeam, quero uicissim ex te:  
Quomodo Hieremias ostenderit ac probarit ueram &  
irreparabilem uerae urbis Hierusalem deuastationem,  
quando in laguncula testea, quam in Tophet contere-  
bat, destruendam prædixit; Nunquid ut uera destruc-  
tio doceretur, necessarium erat in doliolo tantam ur-  
bem contineri? Non sic ineptis scio, sed ex uera ueri do-  
lioli contritione, cognosces uerae ciuitatis ueram contri-  
tionem, sufficitq; illuc ad evidentiam rei, non fantastici  
doliolum, sed uerum: & non imaginariam confectionem  
sed ueram, ut & ueritas urbis deuastande cognoscatur.

AD BILLIB. PYR. DE EUCHARISTIA

Sic & Christus mortem sui corporis nobis commendas,  
ut & ueram & utilem nobis fore doceret, panem delec-  
git uerum, unde mors uera cognosceretur: quia panis ue-  
re frangebatur, & utilis crederetur, quia substantiam,  
quo pasci & in uita cōseruari solemus, in mysterium ac-  
commodauit & consecrauit. Vbi autem mors uera &  
utilis comprobatur, consecraneum comprobari & ue-  
rum corpus: atq; ita fractio & distributio panis ad pro-  
bandam corporis ueritatem plurimum seruit. Vides ni-  
hil esse deliri: Sicut enim si probare uelim ueram quan-  
dam fuisse ciuitatem Hierusalem, deuastabile tamen, pro-  
poneremq; figuram lagunculae teste, quae uera lagun-  
cula, & fragilis, nonne figuratum figura responderet?  
Ita & Christus utique in cena figuram mortis multipha-  
riam praedixit & commendauit, euidentissime tamen in  
Sacramento panis. Ceterum & alia Tertulliani uerba  
non tibi sed mihi suffragantur, addit enim: Vacuares,  
quod est phantasma, figuram capere non possit. Quasi  
dicat: Si corpus Christi non fuisset ueru corpus, quid opus  
fuisset tali figura praeludere? Et hoc quoque est, quod di-  
cit: Figura non fuisset, nisi ueritatis esset corpus. Quo  
dicto nimis uult stultum fuisse multas figuram praemittere,  
si nihil ueri sequatur. Stultum esset hederas ante  
domum suspendere, nisi uerum unum uenale foret. Itaq;  
in cena panis fractio, figura erat, quod Christus pro uita  
mudi passurus esset: nobis autem symbolum est, quod pro

IOANN. OECOLAMP. RESPONSIO.

Promundi uita paſſus fit. Res planior est, quām ut multis  
uerbis eḡat. Tu ſane ſomnia, ut uera idola, nugis ac cō  
uicijs, quemadmodum par est, exornas. Denique quod  
Tertullianus ſubiūgit: Nullius enim corporis ſanguis eſ  
ſe potest, niſi carnis: nam & ſi quae corporis qualitas non  
carnea opponetur nobis, certe ſanguinem niſi carnea nō  
habebit. Ita conſiftit probatio corporis de testimonio car  
nis, probatio carnis de testimonio ſanguinis. Hęc Tertul  
liani uerba non diabolico conſilio à me omissa fuere, ſi  
cut tu calumniaris, ſed quod nō magno pere referre exē  
ſtimarem: neque enim probandam ueritatem carnis &  
ſanguinis ſuſceperam: quae certior eſt hodie, quām ut ul  
la probatione opus habeat. Tertulliano autem opus erat  
contra Marcionem, minime autem uult probare uerant  
carnem in pane, ſicut tu gloriariſ, et acurem tetigiffe  
te potes, toto cælo oberrans: ſed Christum uerum cor  
pus habuisse, quia ſymbola non tantum corporis, ſed &  
ſanguinis, qui citra corpus uerū eſſe nequit, reliquerit.

HOC obiter non tranſcendum, ut admoneare quod  
nō dum intelligas quid ſit conſecrare uel sanctificare. An  
te a nos magicen, quām Theologian hac uia docebis, aut  
dic unde tuā expoſitionem ſumpferis, qui tanta authori  
tate urges & dicis: Caue quantū potes, ne cōſecrare ali  
ter accipias, quām pro benedicere, ac panem & uinum  
in uerum corpus Christi & ſanguinem uertere: non ui  
ribus proprijs aut humanis, ſed Dei potentia, & ui uer

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA  
bi. Nos enim uerbum requiremus, quo nobis hoc com-  
mendatum sit. Nam quod Dominus dicit, Hoc est corpus  
meū, longe aliud sibi uult, quam quod homines tale quip-  
pam iubeat. Consecrata autem sunt, que iam non com-  
munia & prophana, sed quæ sacris usibus adaptantur,  
ut Grammatici definiunt. Nomen consecrandi scriptura  
cène non habet: uerum quia Christus ritus istius author  
est, neutiquam ille à fidelibus uiolabitur, & sic consecra-  
tus erit: neque ad hoc opus fuerit, ut pani corpus reali-  
ter uniatur. Ecce adhuc noster est Tertullianus: & sunt  
quidam tuarum partium, qui libenter illum nobiscum  
sentire permitunt. At tu nihil boni consulis, semel exes-  
tuare incipiens.

EUNDENM NOSTRVM ET PATRVM  
spiritualem cibum.

**N** VESTRA sententia obrepebat &  
 aliud & tot op, non fore eundem cibum spis-  
ritualem nostrum & patrū, quod iuxta Pat̄  
li sententiam indignum foret, quem sic ex-  
ponit Augustinus. Tu autem adeò indulges freno, ut nō  
consulto Augustino, me taxes, faciasq; uerba Augustini,  
mea. Nam quod dico, Eundem cibum spiritualem, quo-  
modo manducarunt, nō intelligo: uerba sunt Augustini,  
indicatusq; locus est: quærc, aperi oculos, & inuenies,  
illumq; argue, & non me sic tunde, perinde ac essent  
omnium

## IOAN. OECOLAMPAD.R ESPONSIO.

omnium quas citam sententiarum, deprauator. Ecce deprehensus es & hoc loco. Ad cetera inania, que de figura dicis, suprareponsu[m] est. Et pleraque talia sunt, ut contemni magis, quam rei[ci] mercantur. Nam quædam in Chrysostomo, Cypriano, & Augustino dicis me reddidisse caliginosiora, sed quia non indicasti, certus sum quo studio occultes. Excerpis ex Chrysostomo, quod farinæ tue cōducibile uidetur: prætersitis autem id quod ad explanandum attinet. Etenim si illum more tuo nobis obiecturus es, Transubstantiationem plus quam papistū cam inuehes: probabis & calicem mutari in latus Christi, & ex igne facies spiritum sanctum.

CAETERVM quid prohiberet suam reverentiam, iustumq[ue] honorem symbolis exhibere, quum Paulus interminetur tam grauia indigne de pane edentibus, & de poculo bibentibus? Dixi quod suam mereantur reverentiam, & non simpliciter: quæ autem illa sit, reseruo in alium locum, & alibi dixi.

## DE UTILITATE EUCHAS- RISTIÆ.

**D**ISCENDI gratia indagare quenam ex operibus Dei nostra sit utilitas, nunquam pro piaculo & blasphemia habitum, sicut tu mihi improperas. Scimus enim Deum nihil absque utilitate fecisse, sed omnia ad suipius

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA  
gloriam: uidit enim Deus omnia quæ fecerat ualde bona.  
Quod si bona, utique et utilia. Q[uo]d autem meliora cog-  
noscuntur, tanto magis gloriam Dei manifestant, et nos  
ad gratiarum actionem accendunt. Quid prohibet igitur  
id ipsum in Sacramento hoc inquirere, quid profitari  
nisi presentias quæ si affuerit, absq[ue] utilitate minime esse  
poterit. At dum hanc querer, tu sic arguis, quasi cum hu-  
dæis offendar, etiamsi assit utilitas, et opponis mortem  
Christi. Qualis oro hæc comparatio? De morte Domini  
audio: Nisi granum frumenti mortuum fuerit, fructum  
nullum afferet: si mortuum fuerit, plurimum afferet fru-  
ctum, ubi hoc de carne in pane audimus? imò audimus  
Caro nihil prodest. Et quod ex sexto capite Ioannis af-  
fers, omnium eruditorum cōsensu nihil ad sensum tuum  
facit. Neque enim qui Sacramentali modo, sed qui spiri-  
tualiter carnem Christi manducant, eternam uitam obti-  
nent. Morte Christi nihil minus fidei nostræ imbecillitas  
terrore peccati concussa, carere potest, nihil et que ac il-  
lamentem reficit: atque adeò, ut citra carnalem cœnam  
spiritualiter impinguet. Utilitas autem carnalis præsen-  
tie à uobis nulla adhuc proposita est. Sane phantastica  
dulcedines, et cūd uata thauatōia superstitionum  
quos uocant deuotarios, nihil moror, sciens omnia sola-  
cia conscientiarum uana, quæ non ex fide. Evidem et  
iacturam in carnali præsentia monstrare possem. Num  
si quam hic sperare liceret utilitate, nō inueniremus eam  
in

IO ANN. OECOLAM. RESPONSI.

in cruce, & spirituali mandatione: unde consecutaneum morte Christi non esse sufficientissimi meriti. Porro quod Christus in cena (hoc est, in eo, in cuius commemorationem sit cena) remittit peccata, non in causa est quod impanatus sit, sed quod promissioni illi, quae peccata remissa annuntiat, fides habeatur. Eam autem fidem etiam extra cœnam illam ceremonialem habere possumus. Tu igitur frustra distinguis inter satisfacere pro peccatis & remitti peccata. In cruce enim satisfactum est pro peccatis, remissaque ablata sunt peccata, non mea tantum, sed & totius mundi. Verum satisfactionis & remissionis tunc capax esse incipio, quum fidem habuero. Roboratur mea fide in meritum Christi in cruce, memoria autem in cena nobis commendatur. Itaque nullus singularis fructus carnalis presentiae, uel in mandatione uel ante mandationem. Obijcis, Igitur reijciamus ritum illum penitus, si nullus commemorari potest fructus. Hic respondeo, non me dixisse cœne usum inutilem, cuius cōmoda supra monstravi, sed de carnali presentia in ea cena loquutus sum iuxta uerbum Domini, qui dicit, Caro nihil prodest. Ceterum dum dicis te edere secundum institutionem Christi, neque sic utilitatem carnalis presentiae nos doces. Oro autem iuxta institutionem Christi manduces: iussit enim ille, edere panem, & non dixit, In pane comedite corpus. Dixit Hoc est corpus meum, ut memoriam passionis commendaret: non dixit panem in corpore includi. Itaque

**AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA**

ne quibus recordationem Dei habere possumus. Reijce  
& predicationem uerbi, eò quod spiritus, intus docere  
potest. Nondum reprobasti idola, que à Deo prohibita,  
& nunc tam seuerus es censor in symbolis loco submo-  
uendis, nisi deificentur. Annon ipse fateris te non aliter  
quam spiritualiter manducare & bibere; quomodo igit  
tur constant uerba tua? Si spiritualiter manducas, quid  
carnalem cænam apparas? Fateris in pane corpus, &  
panem substantiue corpus, & negare potes te contactu  
panis nō uniri carni Christi, & carnaliter edere? Quos  
modo & illa constant?

**IRENAEI SENTENTIAM FIDELI-**  
**ter à me citatam.**

**H**IC DVM sententiam meam confirmas,  
quod carnaliter non edas, neque caro carni  
uniatur, videor tibi iterum perperam usus  
uetustissimi Irenæi testimonio, que appareat  
te uel non legisse, uel non intelligere, adeò nihil tibi sus-  
fragatur: & in illo ipso quoque authore ne uerbum qui  
dem commonstrasti ueritati sententiæq; meæ aduersum.  
Mentem authoris in libro de uerbis cænæ reddidi, nunc  
refellenda sunt ea tantum, que contra me subintulisti in  
hec uerba: Cernis hic uanos appellari, qui dispositionem  
Dei contemnunt & negant calicem Eucharistie commu-  
nicationem sanguinis Christi esse: & panem quem fran-  
gimus

IOANN. OECOLAMPA. RESPONSIO.

gimus, communicationem corporis eius esse. Audis et mixtum calicem, et fractum panem, quando uerbum Dei percipit, Eucharistiam fieri corporis et sanguinis Christi. Fieri inquit, non significare: non imaginarie, sed uere, et re ipsa, licet tu iterum hic et ubique tropo logice argutari coneris. Quo pacto enim fieri posset, si solum significaret, et non fieret? Sic tu uerba Irenæi sensu tuo applicas: sed præcedentia sequentiaque legenti, alia mens eius apparet. Vanos enim uocat, non negantes panem substantialiter corpus Christi. Nam aduersus illos disputationem non susceperebat, sed eos percellit, qui creaturas Dei bonas, et carnis resurrectionem negant: colligens more Apostoli à resurrectione Christi nos quoque resurrecturos: et deinde confirmans à ratione sacramentorum, per que communicationem corporis et sanguinis eius habemus, ut nobis promissum sit, quod Christo mortuorum primogenito concessum. In quem sensum illud ex Corinthiis citat Irenæus. Deinde dum dicit, perceptione uerbi Dei fieri Eucharistiam, deterres à Tropo, sed frustra, neque tropo mihi opus est, neque locus permittit. Non enim simpliciter dicit fieri corpus uel sanguinem, sed Eucharistiam. Quid est Eucharistia, nonne gratiarum actio? ea nimurum fit invocatione Dei: nam quoties rite fit illa gratiarum actio cum symbolis, nullo opus miraculo. Sic et celebrationem corporis fieri dicimus. Quin et Augustinus contra Faustum simili modo

## AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

Manichæos adoritur, Fausto enim obijcenti: Nobis circa uniuersa, uobis erga panem & calicem par religio est. Hoc ideo obijciebat, quia Manichei dicebant naturam Dei in alimentis omnibus teneri ligatan, quæ cum ab electis uelut sanctis in refectionem corporis edendo ac bibendo assumerentur, per illorum sanctitatem soluerentur ac liberaretur. Hanc absurditatem pessimam improporabant Christianis, eosq; erroris socios facere uolebant, eò quod in pane & uino corpus & sanguinem Christi existimabant uobiscum, & sic Deum quoq;. Eos refellit Augustinus his uerbis: Noster panis & calix, non quilibet, quasi propter Christum in spicis & in sarmenis ligatum, sicut illi despiciunt, sed certa consecratione nobis mysticus fit, non nascitur. Attende uerbum Augustini, fit mysticus inquit, id est, sacramentum esse incipit. Nullo hic opus tropo. Iam uestra opinio, ut panis substantialiter sit corpus Christi, plus habet religionis Manichæoru, quam si nasceretur in spicis Christus ligatus: maxima enim unio est, substantiae esse unitum. Et dicit diuus Augustinus ultra: Manichæos peius despere, uel si nos cum illis conueniremus, quam si propter panem & calicem Bacchum & Cererem colere existimaremur. Neq; hoc apud Irenæum prætereundum est, quod dicit: Qui est à terra panis, iam non communis est, sed Eucharistia ex duabus constans rebus, terrena & cœlesti. Pulum sanè dictum, & natura explicans sacramentorum  
quia

IOANN. OECOLAMP. R E S P O N S I O.

quia ex uisibili inuisibiliq; cōstant, quæ hic terrenum uocat & cœleste. Cœlestia enim inuisibilia dicūtur. Adest panis uere res terrena, per quā manuducimur ad inuisibile quiddā, qd' gratiarum actiōe et memoria eius adest. Vnde panis uel aqua nō ultra cōmune quiddā est, sed invocatione Dei fit sanctificatū. Sunt qui his locis Irenei, quem non capiunt, supra modum gloriantur: è quibus nuper in conuentu Badensi Heluetiorum Eccius & Faber Constantieñ. modestiæ sue specimina protulerunt. Nam contra eos cum Transubstantiationem in Rhomamnam Ecclesiam præter uerbum Dei, patrumq; priscorum authoritatem inductam esse, ex hoc loco ostenderem, illi tanquam uictorie compotes, quasi pro se staret Ireneus, petierunt eius testimonium in acta referri: quumq; sequenti die per Fabrum, quid inscrendum recitaretur, in compendium uictorie intempestive pronunciatum est, Duas primas Conclusiones Eccij, in quibus asserebantur Corporis Christi in pane præsentia, & pro uiuis ac mortuis in Ecclesia sacrificium, iam euictas: atque eum rumor statim procul diuulgarunt quidā, quum tamen neutrā adhuc recte aggressi essemus, & Ireneus rei, quæ tunc agebatur, obstatet maxime. Proinde nulli mirum, si Pyrgopolynices isti passim suas uictorias ac triūphos ebuccinent. Sunt nonnulli, quibus satis est, si clamore uincat, etiam si res ipsa parū excutiatur. Veri amantes, non cuius rumori credent.

AD BILLIB. PYR. DE EVCHARISTIA

CIRCA Epistolam Cyrilli ad Nestorium abiuras  
ηρεωφαγίαν, et dicas quod sciam uos per fidem ac my-  
stice communicare. Mihi Billibalde, sita est, quare tam ma-  
le audio et quare me persequimini? Verum sermo uester  
non constat. Vel de fide non satis, quid uelitis,  
intelligo. Fortassis autem et nomen  
mysterij et mystici secus acci-  
pitis, quam Ecclesia  
olim solebat.

QVOD VERBA SCRIPTVRAE SEN-  
tentiam aduersariorum nusquam conseruit.

**E**XPENDI diligenter quicquid in toto li-  
bro tuo contra me euocuisti, et nondum  
inueni uel unam è conjecturis meis, quam  
repuleris: nondum disparuit unum incon-  
ueniens per uos admissum: nondum uel unius sancti Do-  
ctoris per me citati sententia, infideliter tractata cōproba-  
ta est. Plenus autem sum cōuictorum tuoru, satur scommatu,  
diues contumeliarum, quibus aures tinniunt. Licet autem  
doleam propter multorum offendicula, condono tamen  
propter eum, qui opprobria exprobratiū prior tulit.  
Videbo nunc quid in uerbis Christi ualeas, et quam rā-  
dict gladius uerbi Dei, quo me iugulandum es intermina-  
tus. Verum arma Christi timeant hostes eius, me enim  
non feriunt, qui nihil optatius habeo, quam si à Christo  
aberrem

IO ANN. OECOLAM. RESPONSIO.

aberrem, uirga & mucrone eius in uiam reuocer. At tu gloriaris plurimum, & ad ferenda uasa Domini, quouis puer es imbellior. Proinde recte facis, qui aliena implores subsidia. LVTHERI uiri uere admirabilis, & amicorum meorum Nordlingen. ac Halleñ. concionatorum, quos testaris copiosissime contra me ægisse, oblitus opinor, quod in prima charta epistolæ præmisisti, expectasse te num isthic emerget, qui scriptis meis responderet, dicisq; inanem fuisse prestolationem. Fortassis ad rem attinebat, etiam Norinbergæ quendam in me scribe re, & nulli isthic res diuinæ æque curæ erat atq; Pyrkais mero. Expectabo itaque ut ex singulis ciuitatibus, ad me perendum, linguam & calamum suam contra me armantes, profiliant. Atque ô utinam contra me, & non contra uerbum Domini. Cæterum illis pridem responsum est, responsurusq; fortasse sum plura, si Dominus desiderit. Diluta sunt, que uel tu omnium minimus, uel Martinus eruditorum princeps, uel cæteri de hac re scripserunt, & legere potuimus. Refutauit autem & Zwinglius copiose. Verum belle isthic agitur. Plausta conuictiorum è ciuitatum uestrarum portis egrediuntur, per quas nō ingrediuntur innocentium apoloiarum uel triobolares corbiculi. Cæterum hæc Deo iudici, & ueritatis defensori curæ erunt. Porro, hic quid tibi respondebo, quum uix des occasionem respondendi, testarisq; de his nihil te scripturum? Leuas igitur me non paruo onere, saluique

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

Sunt mea. Nihilominus nolim dicas te in illo uel minimo,  
cui non responderim, cōtemptum. Principio igitur, quod  
gloriaris, & tanquam superbo uectus equo, in uerbis  
cēnæ confidens, dicas illa hunc sensum tuum tenere, si=  
ue discerpantur, siue intercidantur, siue relinquantur.  
Verum ego ea nulla commutatione uel discerpserim, uel  
interciderim. Sed quem sensum habeant, ex præceden= tibus sequentibusq; dimetior, & ex gloria Christi, no= strāq; utilitate quæ omnia faciunt ut tuo sensu seruire  
nequeant: quin & apud manifestiores euangelistas oce= currunt, quæ cum sensu tuo pugnant. Affers autem &  
dicta quæd.am Apostoli ex epistola ad Corinthios. Vnum  
est, quod & supra tractauimus: Panis quem frangimus  
nōme communicatio corporis Christi est? Dicit inquis  
communicatio, non commemoration, & est, non signifi= cat. Mi Bilibalde, scio te uirum ciuilem, qui & ciuilem  
sermonem apud Paulum agnoscere queas, tametsi hoc lo=  
co sis cunctatior, Agnosces tamen olim. Sumam exem= plum è media plebe: Mendici plumbo publico signati, se= mutuum agnoscentes, dicunt, Nōnne plumbum quod in  
pallijs gestamus, communicatio eleemosynæ ciuitatis est?  
Quis dicet plumbum publicū cōsé ipsam eleemosynam;  
& non signum, quo eleemosynæ participes se agnoscūt:  
sic utiq; & panis quem frangimus, siquidem illum digne= manducamus, symbolum est, quo agnoscimus eos, quos  
pro participibus omnium meritorū corporis Christi ha= bennus.

IOAN. OECOLAMPAD. RESPONSIO.

bemus. Sicut sequentia uerba mox interpretantur: Vnum corpus & unus panis multi sumus. Repelle & hic si iustum est tropum in uerbo sumus, & uide quantum probes. Nolo ego alium interpretem quam Paulum ipsum. Prætereas ita mordicus inhaeres literæ, quomodo expones; Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum? Quæ est illic communicatio; nunquid in mensa inclusus habitabat dæmon? Si Iudeus dixisset: Agnus paschalis quem edimus, nonne cōmunicatio agni AEgyptij est? subindicans partam libertatem & cætera bona, putas ne ex necessitate sermonis sequuturum; Ergo agnus AEgyptius est substitutus in agno paschali?

Aliud est dictum Pauli. 1. Corin. ii. quo & ipso insculpi citer uteris. Dicit enim. Qui ederit panem hunc, & bibet calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Quod dictum tu satis ridicule examinas, quod non dicat: Qui fecerit indigne commemorationem, sed qui ederit & non spiritualiter, sed realiter intelligatur. Bone Bilibalde, quis negat realiter edi panem præter papistas? Num ture realiter corpus edi dices, quod paulo ante negabas; spiritualem manducationem & mysticum agnoscens? Non putas posse reum fieri corporis & sanguinis, nisi panis sit corpus substantiue? Nonne si quis irrideret aquilam in portis isthic, nonne fieret reus iniuriarum reipublicæ? neque tamen ciuitas in aquile signo est. Contemptus enim symbolorum, uergit usq; in eos,

## AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA

quorū dignitas in symbolis cognoscitur. Sed de his omni-  
bus pridem responsum est. Omnis uir orans, inquit idem  
Apostolus, habens quicquam in capite suo, probro affi-  
cit caput suum, & caput eius est Christus, nunquid pro-  
pterea in capite eius substantiue erit Christus? Eadem  
infelicitate nescis dijudicare corpus domini, quod Chri-  
sti corpus longe aliud sit quam prophetæ. Non enim diju-  
dicat corpus Domini, quem mors Domini cognita (quam  
profitetur in Sacramento) non extimulat ad nouam uitā  
& charitatem. Alia dijudicatio, quam tu ponis, hacte-  
nus parum nobis utilitatis attulit. Ruunt igitur & que  
hoc loco contra me iacularis, & mea per gratiam Chri-  
sti adhuc intuto sunt & intacta.

## ADVERSARIOS NVLLAS SCRIPTV<sup>A</sup> ras cum ipsis pugnantes soluere.



T A T adhuc cōtra uos dictum Ioan. c. Ca-  
ro nihil prodest, & tanquam Angelus Do-  
mini me satis munit, ne à fano sensu abdu-  
car. Caro enim Christi non propter hoc nata est, ut in  
os nostrum ingrediatur, & manibus nostris gestetur,  
sed ut functa ministerio redemptionis nostra, ascendat  
in coelos: inde ad iudicandum in maiestate descensura.  
Manducabilis autē est à nobis longe alia ratione, quam  
ut substantiue & physico modo pani uniatur. Vnde  
tu non solum crasse, sed et impie exponis: Nisi man-  
duaueritis

IOANN. OECOLAMP. RESPONSIO.

duca uertis carnē filij hominis. Siue autē de carne Christi, siue de carnali sensu exponas, nihil tuam causam iuscat. Non enim in sola carnis cum dentibus discrptione, carnalis intelligentia est, sed est etiam carnalis sensus (ne dicam quid asperius) si dicas panem substantiue corpus Christi, uel in pane includi corpus, uel in pane manducari corpus. Crassa hæc sunt, & gloria Christi indigna, nulliq; nostræ utilitati seruientia. Proinde Christus antequam diceret, Caro nihil prodest, præmittit: Quid igitur, si uideritis filium hominis ascendentem eō, ubi erat prius? Quo uerbo indicat carnem, suo officio persūfūtam, à nobis abducendam: & se absentem corpore, præsentem spiritu ac diuinitate, uiuificaturum, ac directurum corda nostra. Ad quod & omnes scripture ut doceant, tēdunt. Dissimulas postea qua de causa citarim locū Matth. 24. nēpe quod aduentus Domini sequundus alius futurus sit, & interim conuertis te ad facetias tuas illas suaves, perinde ac hoc loco humanis rationibus nitār. Verum apud candidos lectores causam non meam, sed tuam deteriorem reddis. Vide enim quām perbello argumento insistas, Christus abiit ad patrem, ergo non reliquit nobis, ut commemorationem eius peragamus, aut carnem eius manducemus. Bone uir, quomodo tales syllogismos, qui in mentem meam nunquam uenerunt, meo nomine excogitas? Quid enim aliud clamat totus meus liber, quām relictam nobis memoriam Christi; &

AD BILLIBALD. DE EUCHARISTIA  
manducationem carnis ac bibitionem sanguinis spiritua-  
lem nobis necessariam est. Sed in hoc tibi non consentio,  
quod panis sit substantia reale corpus Christi, & quod  
edatur in pane realiter corpus alio modo quam mystice.  
Quid item ad rem attinet, quod dicas Christum promissus  
se, scilicet nobiscum usque ad consumationem seculi?  
Nemo sapiens hoc de carne intelligit, quod de uirtute  
ac benedictione, diuinaque protectione intelligendum.  
Qui enim ubique per suam essentiam, is per gratiam  
a dilectione suis nunquam se separabit. Quandiu scriptura  
ram sic misere tractas, mihi Bilibalde, ne feras aegre, etiam  
si te ac tuos pro acutis & coelestia spectantibus non ha-  
beamus.

### CONCLVSIO.

**I**GTVR VIR amice, quum ab initio li-  
bri usque ad finem, ne in uno quidem uer-  
su uel dolosum, uel impium, uel depravato-  
rem aut Christi, aut ministrorum eius uerborum depre-  
henderis: tu uero cum tuis in plerisque decipiariis, neu-  
tiquam opus erat tanta severitate in humilitateque mea:  
cum agere, quasi essem omnium impiorum impientissi-  
mus: praesertim cum testaris te nunquam a me lesum, sed  
pari amore obseruatum semper. Evidem, ut supra dis-  
xi, propter Christum tantas iniurias condono libenter,  
maliussemque tacere: uerum hæc amore ueritatis inhor-  
tante

IOAN. OECOLAMP. RESPONSI.

tante, scribere coactus sum. Et necessarium mihi erat,  
crimina, quæ per te ac alios inuruntur, detergere. In  
hoc non inuitus subscribo tibi, cauendum Christianis,  
ne dimissis uerbis diuinis, & sanctorum patrum usu tan-  
perpetuo, confictum sequantur opinionem. Porro quod  
docui de Eucharistia, nihil peruersi neque conficti in se  
continet, neque à te ita habere conuictum est. Qui tu-  
um librum cum iudicio legunt, probe animaduertunt,  
quod mea frusta & multis conuictis improbas, tua uero  
nō probes, sed tumidis uerbis adornare studeas. Deniq;  
nulla opinione impia cōtaminatū me bene mihi cōscius  
sum, ut condolendū mihi sit: neq; à via Christi aberro, ut  
in uiam sim reducendus: neq; maledicentiae indulsi, ut sic  
male audire debeam. Quod aut̄ tu et tuorumq; sententiæ  
non accedo, tum uitio des, quum me ueritatem impug-  
nasse per maliciam, cognoueris: nunc in tanta, tamq;  
innocenti ueritatis inquisitione, ueritatem assequutus,  
fauorem autem & laudem non assequutus, ueniam &  
condonationem, si nihil præterea fauoris habet ueri-  
dium, meruerim. Confido sane nihil contra gloriam Dei  
à me dictum: & ne quid unquam dicatur, illum  
ipsum, cuius est prestare, oro.

Vale. Basileæ. Anno

M. D. XXVI.

## ANNOTATIO CAPITVM.

- Prefatio. Scopus Bilibaldi.  
Vter prior iniurias fuerit et generalis calumniarum deſ-  
pulſio. In quo taxatus fit Petrus Lombardus.  
De execratione ſeculorū & multitudine errantium.  
Promiſſionem Christi propter incredulitatem noſram  
non irritari. Qui nam conſientias onerent.  
Doctrinam noſram de Euchariftia non eſſe ſeditioſam.  
De Sacra-mentorum & ſignorum diſtinc-  
tione.  
Prætextu fidei non quamuis opinionem conſirmari.  
Nihil contra Oecol. facere, quæ à Bilibaldo ex probatis  
citantur autoribus.  
Neque Christi uerbis aduersarij ſententiam ſuam ſtabi-  
lire poſſunt.  
Nodum Auguft. in Psal. 33. recte explicatum.  
Bene ſe habere, quæ de nouem generibus ſignificationi-  
adducta ex Auguftino.  
Pure tractatum aliud quendam Auguftini locum.  
Coniecturas quibus colligitur Euchariftia apud prifcos  
non fuiffe tantum miraculum, non eſſe euaniadas.  
De Parabolis non fruſtra facta mentionem.  
Verba Christi plana fuiffe Apoftolis.  
Canonē tropis exponēdis ſeruientem, religioſe ſeruatū.  
In Euchariftia non eſſe carnalem manduca-  
tionem.  
Prædicabilium, prædicamentorumq; rationem in ſacra-  
mentis explicandi non eſſe absurdam.  
Inconuenientia allata per Oecolamp. non ſolui, pre-  
ſertim

## ANNOTATIO CAPITVM.

Sertim quod unum corpus in multis locis.

Nōdum dilutum, sequi ex opinione aduersariorum multos esse Christos.

Nō dilui ab aduersarijs idem nō eſe figurā & figuratū.

Tertulliani sententiam fideliter adductam.

Eundem nostrum & patrum spiritualem cibum.

De utilitate Eucharistie.

Irenæi sententiam fideliter citatam.

Verba scripturæ sententiam aduersariorū nō confirmant.

Aduersarios nullas scripturas cū ipsis pugnates soluere.

Conclusio.

## CHRISTOPHORVS FROSCHOWER.

Typographus, Lectori s.



ELLEMVS & nos, si fieri posset, nihil  
ex Officina nostra prodire, quod non idem  
terfissime absolutum. Neq; enim erratorum  
appendices ualde arrident, in quibus quicquid deforme,  
simul ante oculos ponitur. Verum quum fieri nequeat  
quod uis, id uolendum erit quod locus postulat, & proxī  
mi commoditas exigit. Quum igitur omnes, qui uel me=  
diocrem cum Typographis habent consuetudinem, non  
ignorent quām facile hinc inde obrepant mendæ, maxi=  
me si operæ non admnodum grāmaticæ callentes sint, uel  
si parum cognobiles exemplarium note, uel si alia interci=  
dant, quæ minus attentas sinunt aduigilantium mentes,

Gratius tibi sequundo loco fuerit, recognitione libri ad exemplar collectis erratis resarciri fideliter, quod uitari nequibat, quam dissimulari infideliter, quod emendari poterat. Vnde breui opera, ipse de prauatori castigare, et inoffenso cursu lectionis fructum rapere ualeat. Quia autem numerus paginis premissus non erat, iuxta quaternionum paginas indicem fieri curauimus. Tuboni consulas, et Vale.

A

Pagina tercia, linea prima, lege uim.  
Eadem, linea 6. zelus pag. 10. linea. 23. dicis.  
pag. 11. linea 5. Insigne quoque impij. C  
linea. 19. figurate.  
pag. 12. li. 8. p̄fāc̄t̄ id̄ s̄x̄. eadem, li. 24. curemūs.

B.

pag. 1. lin. 5. non ausim.  
pag. 15. linea. 6. iuos. C lin. 16. Quin etiam alios.

C.

pag. 1. linea. 7. uestrorum.  
pag. 5. linea 21. siue.  
pag. 10. linea. 2. emergere. C 3. autem.  
pag. 15. linea 19. quanta.

D.

pag. 1. linea 20. doloso.  
pag. 4. linea. 9. confictem.

Pag. 12. linea 13. Nam si Augustini.

Pag. 15. linea 25. ius<sup>s</sup>io.

E.

Pag. 9. lin. s. praecedentia & sequentia;

Pag. 10. linea 2. uindicat.

Pag. 14. linea 4. ne faceremus, iuit ad patrem, ut cum  
patre. & linea 25. in manus uescens.

Pag. 15. lin. 4. decedit. & linea 24. commemorandæ.

F.

Pag. 2. linea 1. silens.

Pag. 15. linea 15. quomodo

Pag. 8. linea 3. absurdam. pag. 9. lin. 15. infestat;

Pag. 11. linea 15. ualens. & lin. 25. his uerbis  
committens. & linea ult. insana.

Pag. 13. lin. 4. me & Pighardos.

Pag. 14. linea 9. admonentibus.

Pag. 15. linea 26. Christos eſe.

G.

Pag. 3. linea 3. ceſſaruntq; uel.

Pag. 4. linea 11. non erubescis.

Pag. 5. linea 8. mihi (abundat.)

Pag. 7. linea 25. imaginaria contritio. Et lin. 25.  
sed uera. Pag. 11. lin. 1. citaui.

Pag. 12. d'au<sup>m</sup>ovia.

FINIS.

זה יהיה בעץ שהול על פלאי מים

Omnis plantatio quam non plantauit pater  
meus cœlestis, eradicabitur.



Omnis arbor que non fert fructum  
bonum, excinditur.

Rubiconem tibi hunc ostendit, dicitur te ad idem peribit, sed tuas rursum traxisti a te.